







5.1.53

Capuccini di
Mantua
e N.º 1112.

RELATIO JURIUM SEDIS APOSTOLICÆ IN CIVITATEM COMACLENSEM

Complectens varias discussiones Romæ habitas in Conventibus

INTER MINISTROS SUMMI PONTIFICIS

ET

SAC. CÆSAREÆ MAJESTATIS.



ROMÆ MDCCXI.

CUM FACULTATE.



AD
LECTOREM.

POst scripta Romæ vulgata pro asserendis juribus supremis Apostolicæ Sedis in universum Ducatum Ferrariæ & præcipue COMACLUM; subinde in Conventibus ex condicto habitis inter Ministros Summi Pontificis & Augustissimi Imperatoris, per aliquot menses eadem jura utrinque discussa fuerunt una cum iis, quæ, suggerentibus Ministris Estensibus, pro Imperio facere putabantur. Jam vero ne homines hujusmodi rerum curiosi quicquam celarentur, accuratam & sinceram quidem eorum omnium, quæ pro Sede Apostolica adducta fuerunt, Relationem hic damus: quam eo etiam nomine haud ingratam futuram speramus, quod in eadem quoque enarrentur illa, quæ pars adversa juribus Romanis opposuit; itaut ex hac una Relatione utrisque juribus patefactis, quasi purpura juxta purpuram dijudicari posse videatur. De his te monitum volui, amice Lector, antequam Relationem ipsam perlegeres. Vale.

INDEX CAPITUM.

DISCUSSIO I.

Super Articulo I. qui respicit veritatem & auctoritatem Constitutionum Rudolphi I. & Electorum Imperii pro ditionibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & COMACLO.

SYNOPSIS.

In hoc conventu Ministri Sanctæ Sedis Apostolicæ differuerunt de Articulo I. sive de vi, pondere & auctoritate eorum omnium, quæ spacio quinquennii ab anno 1275. ad annum 1279. Rudolphus I. Imperator per Legatos publicos & per seipsum; item Electores Imperii per acta authentica egerunt & confessi fuerunt circa omnes ditiones temporales Ecclesiæ Romanæ & nominatim circa COMACLUM.

DISCUS-

DISCUSSIO II.

Super eodem Articulo I. de diplomatibus Rudolphinis & Electoralibus.

S Y N O P S I S.

Acta & scripta per Rudolphum I. Imperatorem & Electores Imperii pro ditionibus Sancti Petri & Comaclo, amplius firmantur & a quibuscunque objectionibus vindicantur.

§. 27. Co-

RELAZIONE

Di quanto Monsignor Corradini replicò in voce nel Congresso de' 18. Settembre 1710. a quello che il Signor Reggente Carolli soggiunse di più sopra il medesimo Articolo I. de' diplomi di Ridolfo I. e degli Elettori dell'Impero, distesa dal Signor Cardinal Gozzadini.

DISCUSSIO I.

Super Articulo II. qui respicit possessionem COMACLI *penes Apostolicam Sedem ante Constitutiones Rudolphi I.*

SYNOPSIS.

Probatur negari non posse Apostolicam Sedem justis titulis possedisse COMACLUM ab anno 755. usque ad annum 1279.

§.19. *Acta*

DISCUSSIO II.

Circa Articulum II. respicientem Sedis Apostolicæ dominium & possessionem COMACLI *ante diplomata Rudolphina & Electoralia.*

SYNOPSIS.

Ostenditur Apostolicam Sedem post primam restitutionem COMACLI factam ab Aistulpho, per quascunque usurpationes & tyrannides nunquam amittere potuisse jus & dominium supremum in eandem Civitatem: nec legitimos & veros Imperatores aliter unquam sensisse.

RELAZIONE

Di alcune risposte date in voce da Monsignor Corradini al Signor Senator Caroelli sopra molti equivochi, e contradizioni di testimonianze di Storici e di fatti concernenti la controversia del posseso di COMACCHIO prima del diploma di Ridolfo I. distesa dal Signor Cardinal Gozzadini, ove si dimostra, che Anastasio Bibliotecario nelle vite de' Sommi Pontefici, e Girolamo Rossi nelle storie di Ravenna hanno sempre asserito, che COMACCHIO era nell'Esarcato, e che fu donato alla S. Sede, e da lei posseduto: e che dalla parte contraria si asseriscono molte cose non corrispondenti agli Storici e senza veruna prova, e che si tornano a ridire per nuove le cose già più volte rigettate.

DISCUS-

DISCUSSIO I.

Super Articulo III. de possessione COMACLI *penes Sedem Apostolicam statim ac prodiit Bulla aurea Rudolphi I. & tempore deinde sequuto.*

SYNOPSIS.

Ostenditur COMACLUM vel tanquam subjectum Ravennatibus, vel tanquam appendix districtus Ferrariensis, semper habitum fuisse pro re ad Sedem Apostolicam pertinente, non vero ad Imperium, ab anno 1279. usque ad annum 1598.

OBSERVATIONES.

Contra aſſertas Inveſtituras Eſtenſium a Cæſaribus, ut dicitur, impetratas circa Comaclum.

SYNOPSIS.

Inveſtituræ Eſtenſes de Comitatu Comaclensi, quæ paſſim jactantur, nulli ante medium ſeculum XVI. unquam notæ, inanes & clandeſtinæ eſſe monſtrantur.

DISCUSSIO II.

Super Articulo III. de poſſeſſione Comacli *penes Apoſtolicam Sedem tempore diplomatis Rudolphi I. & poſt idem diploma.*

SYNOPSIS.

Ulterius probatur, Comaclenses Apoſtolicæ Sedis imperio paruiſſe anno 1278. 1279. & ſequentibus uſque ad primum Ferrariæ Vicariatum per Eſtenſes a Sede Apoſtolica impetratum: & reſpondetur objectis.

ALIÆ OBSERVATIONES

In Investituras Estensium, quæ dicuntur a Cæsaribus impetratæ circa COMACLUM.

SYNOPSIS.

Diplomata Estensium, in quibus COMACLUM exprimitur, partim sunt ficta, partim irrita, nulla, subreptitia & inania; partim vero sunt acta protectionum sine obligatione solvendi Census, juramenti fidelitatis & servitii præstandi.

RELA-

RELATIO JURIUM SEDIS APOSTOLICÆ IN CIVITATEM COMACLENSEM

Constans variis discussionibus Romæ habitis.

DISCUSSIO I.

Super Articulo I. qui respicit veritatem & auctoritatem Constitutionum Rudolphi I. & Electorum Imperii pro ditionibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & COMACLO.

SYNOPSIS.

In hoc conventu Ministri Sanctæ Sedis Apostolicæ differuerunt de Articulo I. sive de vi, pondere & auctoritate eorum omnium, quæ spacio quinquennii ab anno 1275. ad annum 1279. Rudolphus I. Imperator per Legatos publicos & per seipsum; item Electores Imperii per acta authentica egerunt & confessi fuerunt circa omnes ditiones temporales Ecclesiæ Romanæ & nominatim circa COMACLUM.

§. I. Conventus diei 4. Augusti 1710. ubi actum de diplomatibus Rudolphi I. & Electorum Imperii pro Sancta Romana Ecclesia.

IN Conventu habito die 4. Augusti currentis anni 1710. in Palatio Eminentissimi D. Cardinalis Paracciani, cui interfuerunt idem Eminentissimus necnon Eminentissimus pariter Cardinalis Gozzadinus & Excellentissimus D. Marchio de Priè Orator Cæsareus atque Illustrissimus D. Regens Comes Caroellus, idem D. Cardinalis Gozzadinus in hunc modum exposuit Jura Sedis Apostolicæ in Civitatem COMACLI. Duxit initium a celeberrimis diplomatibus Rudolphi I. Imperatoris: & ex omnibus anteactis illa concomitantibus satis luculenter constare ait de supremo dominio ejusdem Civitatis ad Sedem Apostolicam pertinente: immo & de omnimoda pos-

fessione: neque necesse esse repetere titulos antiquissimos, qui iisdem diplomatibus præcesserant, ad idem dominium adstruendum. Subjunxit D. Cardinalis se paratum probare existentiam legitimam & realem dicti diplomatis, si revocetur in dubium, & pondus ejusdem undequaque ab oculos ponere. Antequam ad id explicandum se accingeret, rem universam inter Gregorium X. & Rudolphum I. gestam hoc pacto repræsentavit.

§. 2. Juramenta Imperatorum pro defensione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & ejus ditionum temporalium, & confirmatione diplomatum eidem concessorum.

Satis vulgare est (inquit) singulos Imperatores in actu electionis juramentum consuevisse præstare in manibus Cancellarii Imperii, quo promitterent se devotos & Advocatos Ecclesiæ Romanæ futuros, & confirmaturos, neque unquam impugnaturos donationes & privilegia eidem Ecclesiæ Romanæ a prædecessoribus Augustis concessa. Hoc juramentum, quod præstitit glor. mem. Leopoldus pater & JOSEPHUS filius nunc feliciter imperans, singuli præcessores quoque ante præstiterant.

§. 3. Gregorius X. postulat a Rudolpho I. diploma pro ditionibus Ecclesiæ Romanæ.

Gregorius X. in obsequium hujusmodi juramenti, quod Rudolphus illi præstiterat, ab eo postulavit diploma, quo antea actæ restitutiones seu donationes ab ejus prædecessoribus factæ confirmarentur. Concilio Lugdunensi cum pluribus Episcopis & Proceribus Germanis interfuit Spirensis Episcopus tunc Imperii Cancellarius, qui delegatus fuit ab eodem Rudolpho I. ut diplomata quædam Augustorum, qui illi immediatè antecesserant, recognosceret. Delata sunt ad Concilium diplomata Ottonis IV. & Friderici II. necnon instrumenta juramentorum ab iisdem hac de re præstita in manibus Innocentii III. & Honorii III. quibus confirmabantur restitutiones & donationes ab aliis Cæsaribus Ecclesiæ Romanæ factæ, & signanter totius Exarchatus & Pentapoleos, locorumq; adjacentium: iisque solemniter recognitis, Principes Imperii Concilio præsentes, Archiepiscopi plures Germani, & Episcopus Spirensis Cancellarius & Delegatus Imperialis, declararunt, ea diplomata & instrumenta esse authentica & vera, atque etiam conscripta de consensu & voluntate Principum omnium Imperii.

§. 4. Acta Rudolphi I. Lausannæ coram Gregorio X. pro recognoscendis juribus temporalibus Sancti Petri.

Lausannæ inde convenerunt Gregorius X. & Rudolphus, qui in Consistorio ibidem habito coram universo Cardinalium cœtu probavit, rataque habuit quæcunque fecerat, declaraverat, recognoverat, fassusque erat Delegatus suus Spirensis Episcopus, juravitque in manibus Papæ, singulas Provincias & Civitates descriptas in diplomatibus Ottonis IV. Friderici II. aliorumque præcessorum, qui ab ætate Ludovici Pii imperaverant, pertinere ad divum Petrum, Romanamque Ecclesiam; promisitque ulterius se opem daturum pro viribus, ut eæ Provinciæ & Ci-

Civitates, quas alii perperam uſurpaſſent, in poteſtatem ejusdem Eccleſiæ redirent, atque Bullam auream, in qua ſingula tunc promiſſa & juramento roborata exponerentur, ſe editurum ſpopondit. Principes Imperii per epiſtolas, quas ſcripſerunt, univerſa quæ Rudolphus in Conſiſtorio geſſerat, adprobarunt ac rata habuerunt: & epiſtolæ recitatæ ſunt in alio Conſiſtorio una cum literis teſtimonialibus ejusdem Rudolphi, quibus palam fecerat, epiſtolas illas per Principes Imperii fuiſſe conſcriptas atque obſignatas.

§. 5. Rudolphus I. ſolemniter abrogat juramenta per Rudolphum Cancellarium a nonnullis Civitatibus Exarchatus extorta.

Quoniam vero contigerat, Rudolphum Cancellarium Imperialis juramentum fidelitatis Rudolphi I. nomine extorſiſſe a pluribus Civitatibus & locis Exarchatus & Pentapoleos, ac ſi ad Imperium pertinerent; hinc factum eſt, ut Joannes XXI. Gregorii X. ſucceſſor literas in forma Brevis (ut vocant) Rudolpho I. direxerit, in quibus recitata integra ſerie rerum in Concilio Lugdunenſi & Lauſannæ geſtarum, poſtulavit ejusmodi juramenta per errorem præſtita abrogari. Quare Rudolphus I. iis literis acceptis Ablegatum ſuum Conradum Miniſtrum generalem Fratrum Minorum Alamanniæ ad Curiam Romanam direxit cum ampliſſimo mandato procuræ (ut vocant) & facultate, qua rerum in Concilio Lugdunenſi & Lauſannæ geſtarum veritatem exquireret, juramenta prædicta revocaret, & ea omnia, quæ idem Cancellarius egerat, iterum confirmaret. Quare Conradus perpenſis omnibus per Rudolphum I. ejusque Ablegatos in Concilio Lugdunenſi & Lauſannæ geſtis; comperto etiam diplomata per Rudolphum tunc approbata, ſolemniter recognita fuiſſe, atque in illis Provincias Exarchatus & Pentapoleos expreſſas fuiſſe, locaque, a quibus Miniſter Imperialis juramentum fidelitatis extorſerat, comprehendi in pactis ac juramentis Rudolphi I.; omnia perperam acta ſolemniter abrogavit, & juramenta fidelitatis malè & per errorem exacta fuiſſe vulgavit. Hinc Rudolphus ipſe in Romandiolam miſit Gotthifridum Præpoſitum Solienſem: quem id ipſum feciſſe intelligimus ex epiſtola Nicolai III. ad Rudolphum ſcripta; & ex diplomate ſeu Bulla aurea Rudolphi, qua juramenta prædicta abrogans, tanquam ſuo injuſſu & perperam præſtita ſolemniter declaravit.

§. 6. Nicolaus III. poſtulat nominari Provincias & Civitates Eccleſię Romanæ in Bulla aurea Rudolphi I. atque etiam Comaclum.

Quemadmodum vero is error irrepſerat propterea quod in præceſſorum Cæſarum diplomatibus a Rudolpho I. confirmatis exprimebantur quidem generatim Provinciæ Exarchatus & Pentapoleos, non vero nominatim Civitates & loca ſingula vel Regiones, quæ in dictis Provinciis comprehenderentur, vel in iis.

 par-

partibus ad Sedem Apoſtolicam pertinerent ; hinc Nicolaus III. alteram epiſtolam ad Rudolphum exaravit,a quo ne ſimilis error ex generali expreſſione deductus, amplius irreperet, Bullam auream poſtulavit ſecundum quæ idem Rudolphus Lauſannæ Gregorio X. olim ſpoponderat: qua in Bulla ſingulatim deſignari curavit Civitates & loca Exarchatus & Pentapoleos, quæ ad Sanctam Sedem pertinebant, inter quæ nominatim expreſſit COMACLUM. Paulò poſt Nicolaus aliam dedit ad Rudolphum epiſtolam, qua id ipſum iterum poſtulavit, addiditque ſe rem novam non deprecari, ſed veterem & jam olim deſignatam in diplomatibus Ludovici Pii, Ottonis I.& II. & Henrici II. in quibus eædem Civitates & Opida, inter quæ COMACLUM, expreſſa fuerant. In hujusce rei teſtimonium Nicolaus exemplar authenticum eorundem diplomatum ad Cæſarem miſit, affirmans ea autographa in Archivis Apoſtolicis ſervari, ſeque poteſtatem feciſſe Fratri Conrado Ablegato Cæſareo ea recognoſcendi, quo melius rerum veritas eidem conſtaret. Item aliam exaravit epiſtolam, in qua pariter deſignavit eaſdem Civitates & Opida, atque COMACLUM, poſtulavitque præterea per Rudolphum curari, ut accederet conſenſus Principum & Electorum Imperii, ut res ſemper firma impoſterum foret.

§. 7.

Nicolaus III. poſtulat nominari Provincias & Civitates Eccleſię Romanæ in Electorum diplomate, atque etiam COMACLUM.

Non abſimilem epiſtolam ſcripſit ad Electores Imperii, ſignificans Rudolphum in obſequium juramenti præſtiti in Concilio Lugdunenſi & Lauſannæ, obſtrictum ad Bullam auream expediendam, in qua deſignarentur ſingulæ Civitates & loca ſub Exarchatu & Pentapoli comprehenſæ in pluribus diplomatibus ejus prædeceſſorum : palamque Electoribus fecit nomina dictarum Civitatum & Opidorum, inter quæ COMACLUM, hortatusque eſt eos rei tam juſtæ quamprimum aſſentiri. Poſt hæc Rudolphus I.Bulla aurea rata habuit ea omnia,quæ in Concilio Lugdunenſi ſuus Ablegatus, & Lauſannæ ipſemet egerat: abrogavit & per errorem præſtita declaravit juramenta fidelitatis, quæ in Exarchatu & Pentapoli Cancellarius acceperat: fatetur Ludovicum Pium & Imperatores ſingulos confirmaſſe, dimiſiſſe, reſtituiſſe & conceſſiſſe Principi Apoſtolorum ejusque ſucceſſoribus *totam Terram*,(ſunt verba Bullæ) *quæ eſt a Radicofano uſque Ceperanum,Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum,Terram Comitiſſæ Mathildis,Comitatum Brictenorii,Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Maſſam Trabariam cum adjacentibus Terris, & omnia alia bona, Terras, poſſeſſiones & jura ad Romanam Eccleſiam pertinentia in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici expreſſa, ſive contenta.* Fatetur coram Gregorio X.legalem veri-

veritatem & auctoritatem diplomatum suorum prædecessorum se recognovisse, eaque rata habuisse, & prævio juramento confirmasse: & ad tollendam obscuritatem, Urbes designavit his verbis: *Et quia decet regales actus in omni claritate procedere, ut omnem obscuritatem, quam frequenter generalitas consuevit inducere, nostra tollat regalis expressio, ac jura ipsius Matris Ecclesiæ plenarie solidentur, recognoscimus, fatemur & oraculo præsentis edicti ad æternam rei memoriam declaramus, Civitatem Ravennatem & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forumpopuli, Forlivium, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam,* COMACLUM, *Adriam, atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montem Feretrum, Territorium Balnense, suprascriptas Provincias, Civitates, loca & territoria ad Beatum Petrum, & vos Patrem Beatissimum D. Nicolai Papam III. & ad successores vestros, pleno jure, ac integre non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus insolidum pertinere, ac vestri, & ipsius Romanæ Ecclesiæ pleni juris, ditionis, ac principatus existere*. Diploma istud Rudolphi adprobarunt, ratumque habuerunt novem Electores Imperii, qui pariter expressis vocabulis & nominibus Provinciarum, Civitatum & Opidorum, ideoque etiam COMACLI, declararunt & confessi fuerunt, singulas Civitates, Opida & Provincias ibidem designatas ad Sedem Apostolicam pertinere. Post hæc subjunxit D. Cardinalis Gozzadinus: si desideramus legale & authenticum robur dictorum diplomatum, hoc clarissimum est. Quippe coram Excellentia vestra & D. Regente ostendimus ipsa autographa cum sigillis pendentibus in forma authentica, & apographa solemni ritu desumpta bona fide communicavimus.

§. 8. Testimonia pro iisdem diplomatibus.

Petrus Lambecius Bibliothecarius & Historicus glor. mem. Leopoldi Imperatoris typis edidit epistolam Joannis Seifridi asserentis eadem diplomata reperta fuisse in regesto epistolarum Rudolphi I. per eundem Seifridum Abbatem Cisterciensem in Austria, qui genealogiam Cæsarum Habsburgicorum vulgavit. Scriptores etiam Germani, atque Itali quamplurimi eorundem diplomatum meminerunt. Sed quod præ ceteris maximi faciendum est, Nicolaus III. Pontifex in epistola ad Electores Imperii pro eorum assensu obtinendo, non solum diploma Rudolphi I. vulgatum fuisse pronunciavit, sed ejus etiam tenorem recitavit: qui quidem per omnia respondet Civitatibus & Opidis in Bulla aurea Rudolphi descriptis, uti legitur in Appendice actorum veterum post Dissertationem historicam D. Zacagnii pag. 90. Immo & idem Pontifex sex epistolis ad Rudolphum datis Bullam auream, quæque in ea exprimenda erant, vulgari petiit, mittens authen-

thentica apographa diplomatum ejus prædecessorum prius recognitorum ab Ablegato Cæsareo: atque in omnibus epistolis accurate designat loca & Civitates easdem, quæ in Bulla Rudolphi I. descriptæ leguntur. Si vero hæc authentica non sunt, dicat Excellentia vestra quid amplius desiderari possit? Habemus diplomata, habemus testimonia Scriptorum Germanorum, habemus eorundem existentiam in regestis epistolarum Rudolphi, & testimonium erutum ex sex epistolis Nicolai III. scriptis tempore non suspecto. Habemus ab eo tempore juramenta præstita a singulis Imperatoribus electis, atque ab ipso Invictissimo JOSEPHO Imperatore, in quibus donationes & concessiones factæ a prædecessoribus confirmantur. Habemus demum pacificum statum, cum ab eo tempore Sedes Apostolica omnes & singulas Civitates descriptas in Bulla aurea Rudolphi I. possederit, rexeritque, neque unquam Imperator ullus controversiam de dominio moverit. Pro majori robore adfuit consensus etiam Electorum Imperii, & quidem solemnis, nimirum postquam diplomata prædecessorum Imperatorum, Principumque Imperii recognita fuerant in Concilio Lugdunensi, Lausannæ, & demum a Fratre Conrado Ablegato Cæsareo.

§. 9.

Unus assensus Electorum olim necessarius gestis Cæsareis firmandis.

Priscæ quippe Constitutiones Imperii, ut gesta per Imperatores firma essent, non conventus, non Concilia expostulabant, sed assensum Electorum Imperii. Videatur Goldastus, qui in unum redegit Constitutiones & acta Imperialia, & refert pacta pacis initæ inter Alexandrum III. & Fridericum I. a solis Electoribus Imperii firmata, pluresque concordias, fœdera & dismembrationes, quibus solus assensus Electorum Imperii interfuit. Quamobrem Nicolaus III. non petiit, diploma Rudolphi per conventum Imperii confirmari, sed solum per assensum Principum ejusdem Imperii, optime sciens ea ætate illum superabundare; alias postulasset assensum Principum & Concilii Imperii. Neque credimus, Invictissimum Principem JOSEPHUM, qui juravit in actu electionis, privilegia & donationes Ecclesiæ Romanæ factas a prædecessoribus suis servare, impugnaturum diploma Rudolphi I. prædecessoris, & quidem consulto & tanta solemnitate datum, & datum a primo Austriacæ gentis Imperatore; atque ab omnibus Romanorum Regibus ejusdem clarissimæ gentis servatum usque in hodiernum diem. Quare his positis (inquit dictus D. Cardinalis) dominium COMACLI ad Sedem Apostolicam spectare indubii juris est: & frustra opponitur, Sedem Apostolicam COMACLUM non possedisse ante vel post dictum diploma. Quippe in conventibus futuris pro-

probabimus, Sedem Apostolicam Comaclum possedisse ante & post diploma Rudolphi; ut satis superque probatur ex eodem diplomate.

§. 10. Rudolphi I. & Electorum declarationes pro Comaclo ad Romanam Ecclesiam pertinente, quanti sint ponderis.

Rudolphus I. declarat, testatur, & fatetur Comaclum ad Romanam Ecclesiam pertinere pleno jure dominii & proprietatis, idque facit re cognita postquam Ablegati sui authenticas donationes, in quibus & Comaclum descriptum erat, recognoverant, & postquam ipse in Concilio Lugdunensi & Lausannæ easdem donationes se defensurum juraverat. Electores novem Imperii id ipsum declararunt & testati sunt. Quatenus itaque Ecclesia Romana non possedisset tunc Comaclum, dicendum ideo non esset, declarationem & testimonium Rudolphi & Electorum esse erroneum. Quis enim neget, posse dominium stare sine possessione? Si dominium erat & est Sedis Apostolicæ juxta solemnem declarationem Rudolphi & Electorum, id sufficit, ut Comaclum illi restituendum sit. Quis enim id dominium abstulit? Nemo sane. Immo omnes Imperatores, qui Rudolphum I. sequuti sunt, juraverunt in actu suæ electionis se donationes & privilegia a prædecessoribus Augustis data Ecclesiæ Romanæ, servaturos. Ergo nil juvat examinare, an Ecclesia Romana tunc vel postea possideret; quandoquidem si solæ enunciativæ per supremos Principes in diplomate serio ac motu proprio emissæ, præsertim post rem cognitam, disponunt, neque impugnari queunt; quid dicendum de declaratione, confessione & recognitione dominii alterius dispositive factis a tanto Imperatore & a tot Electoribus Imperii cum tanta solemnitate?

§. 11. Ecclesiæ Romanæ dominium in Comaclum ex actis Rudolphi I.

Præterea Rudolphus, postquam declarasset Comacli dominium ad Romanam Ecclesiam pertinere, ad cautelam iterum Comaclum Sedi Apostolicæ donat, concedit & assignat; & quidem pleno jure & insolidum. Hæc recens concessio & donatio facta a Rudolpho de consensu Principum Imperii, sufficeret ad evincendum dominium Comacli, etiam quando tunc Ecclesia Romana illud non possedisset. Itidem in diplomate Rudolphi nulla legitur relatio ad possessionem Ecclesiæ Romanæ; loquitur enim semper de dominio, quod stare potest sine possessione: & declarat Comaclum pleno jure dominii, proprietatis & Principatus ad Sanctam Sedem pertinere.

§. 12. Rudolphus I. rata habet acta per Conradum Ablegatum suum.

His additur, anno 1279. 14. Februarii Rudolphum solemniter ratum habuisse quidquid Frater Conradus Ablegatus ejusdem nomine promiserat: in quo quidem actu, qui legitur in dicta Appendice actorum veterum pag. 98. & 99. data est potestas Nicolao III. & successoribus ejus possessionis capiendæ & recupe-

perandarum omnium Civitatum & Provinciarum deſcriptarum in privilegiis per prædeceſſores Auguſtos conceſſis Romanæ Eccleſiæ, ſine conſenſu aut facultate ulla Imperatorum. Ergo hinc intelligitur, Rudolphum nullam prorſus rationem habuiſſe poſſeſſionis habitæ vel non habitæ, ſi voluit Pontificem, Urbium, quarum poſſeſſionem non habebat, & quarum nomina erant expreſſa in diplomatibus Imperialibus, poſſeſſionem nanciſci poſſe, illasque recuperare.

§. 13.
Comaclum poſſeſſum ab Eccleſia Romana tempore Rudolphi I.

Et tamen conſtat ex ſerie factorum ſuperius expoſitorum, Eccleſiam Romanam tunc Comaclum poſſediſſe: cujus rei ut veritas eluceſcat, repetere liceat factum Cancellarii Imperialis, qui a pluribus Civitatibus Exarchatus & Pentapoleos nomine Rudolphi I. juramentum fidelitatis extorſerat. Singulæ Civitates, quæ juramentum illud præſtiterant, deſcribuntur in literis Joannis XXI. & Nicolai III. datis ad Rudolphum I. & in Bulla aurea ejuſdem. En verba: *a Civibus Ravennatibus, Bobienſibus, Ceſenatibus, Foropopulienſibus, Forlivienſibus, Faventinis, Imolenſibus, Urbinatibus, Hominibus Montis Feretri, Bertenorij; necnon & aliis aliarum Civitatum illarum partium, & locorum, quæ ipſius Eccleſiæ Romanæ Juris exiſtunt*: & quemadmodum narratur in literis Joannis XXI. *a Communitatibus Civitatum, & locorum Romandiolæ, & vicinarum partium, quæ fore de Exarchatu & Pentapoli dignoſcuntur*. Jam videamus quæ geſta ſunt. Nicolaus III. ſcribit Rudolpho I. id juramentum per errorem præſtitum ejus Cancellario: qui quidem Pontifex videns expreſſum in pactis in Concilio Lugdunenſi & Lauſannæ per Rudolphum firmatis, Exarchatum & Pentapolim abſque ulla Civitatum, & locorum deſignatione, ne putarentur eæ Civitates, quæ juraverant, non eſſe in pacto comprehenſæ, Bullam auream edi poſtulavit, in qua deſcriberentur Civitates & loca nominatim, ne in futurum obſcuritas damnum Eccleſiæ Romanæ afferre poſſet. Expreſſit igitur in pluribus epiſtolis ad Rudolphum datis nomina Civitatum, inter quas Comaclum legitur, & in literis ſcriptis Geffrido Legato ſuo ad Rudolphum, addidit, ſe omnino curaturum in Bulla aurea deſignari ſingulas Civitates, *quoniam illæ ad nos & Romanam Eccleſiam clare & diſtincte pertinent*, uti notatur in dicta Appendice pag. 95.

§. 14.
Rudolphus I. edit Bullam auream & fatetur Urbes ibidem deſignatas, & Comaclum ab Eccleſia poſſideri.

Rudolphus re cognita annuit, & ad tollendam obſcuritatem, *quam frequenter generalitas conſuevit inducere, & ut jura ipſius Matris Eccleſiæ plenarie ſolidentur*, declaravit, teſtatus, & faſſus eſt in Bulla, Civitates ſingulas ibidem deſcriptas, & Comaclum pertinere ad Romanam Eccleſiam *pleno jure*, *inte-*

gre

gre etiam in temporalibus, & in solidum, jure Principatus & ditionis. Ex his educitur possessio clara Sedis Apostolicæ: quippe Rudolphus declarat & fatetur COMACLUM, aliasque Civitates in Bulla expressas pertinere ad Romanam Ecclesiam *pleno jure, integre, in solidum, esseque pleni juris, ditionis & Principatus ejusdem*, & sic sine participatione alterius & tam jure *proprietatis*, quam *possessionis* juxta regulas juris notissimas. Itaque Sedem Apostolicam tunc possedisse COMACLUM, singulasque Urbes expressas, probatur ex solemni declaratione & confessione Rudolphi, & Electorum Imperii, qui per eadem verba loquuti sunt. Quod si confessio & declaratio Imperatoris, & novem Principum Imperii consulto emissa & post rem solemniter cognitam, adhuc non sufficit, vix reperiri poterit in futurum probatio, quæ certam reddat possessionem alterius; præsertim vero, quia hæc declaratio facta est cum designatione Civitatum ad instantiam Nicolai III. qui a Rudolpho hanc rem postulaverat, quod eæ Civitates *clare & distincte pertinerent ad Sanctam Sedem*.

§. 15. COMACLUM inter Civitates Ecclesiæ Romanæ, a quibus Cancellarius Imperii juramentum extorserat.

Civitates, quæ juramentum fidelitatis præstiterant in manibus Cancellarii Imperialis, nedum erant illæ descriptæ in literis Nicolai III. & diplomate Rudolphi, sed & aliæ vicinæ & in illis partibus existentes, uti diximus. Ravenna & Cæsena descriptæ nominatim leguntur; ergo etiam COMACLUM, quæ Urbs proxima est Ravennæ & Cæsenæ. Si autem juramentum abolitum fuit per Rudolphum, quod illæ Civitates essent sub ditione Romanæ Ecclesiæ, illique fidelitatem jurassent, hinc intelligitur Civitates illas per Sanctam Sedem mediate vel immediate possessas.

§. 16. Error Cancellarii Imperialis in exigendo juramento a Civitatibus Ecclesiæ Romanæ, unde manaverit.

Præterea error Cancellarii irrepserat, quod putasset eas Civitates non esse sub Exarchatu vel Pentapoli. Nicolaus III. contrarium ostendit ex diplomatibus Imperatorum antiquis tunc solemniter recognitis & ad Rudolphum transmissis, in quibus eæ omnes Civitates descriptæ erant: postulavitque ideo in Bulla aurea fieri expressionem claram Civitatum in dictis Provinciis existentium. Cum itaque Rudolphus annuerit, easque Urbes & COMACLUM ad Sedem Apostolicam spectare declaraverit, & juramenta fidelitatis revocaverit, palam fit tunc recognitum, omnes præfatas Civitates in dominio & possessione Ecclesiæ Romanæ fuisse; alias oporteret affirmare Sedem Apostolicam, COMACLO excepto, plerasque Urbes in Bulla aurea descriptas possedisse, dum solum COMACLUM sub hoc prætextu possessionis non habitæ, Imperator vindicare prætendat, alias

vero Civitates ad Sedem Apostolicam pertinere non controvertat; quod quidem esset offendere majestatem testimonii & confessionis Rudolphi, qui omnes Civitates in sua Bulla nominatas, & sic COMACLUM, ad Romanam Sedem pleno jure, integre, & in solidum, & sic quoad dominium & possessionem, pertinere declaravit. Inania item essent verba diplomatis Rudolphi, quibus revocavit juramenta fidelitatis, & frustra fuisset ejusmodi revocatio facta ab ejus Ablegatis. Civitates enim, quæ dicta juramenta præstiterant, nedum erant illæ designatæ in literis Nicolai III. & diplomate Rudolphi, sed & aliæ illarum partium, & proximæ jam expressis. Legamus quæso nomina Civitatum & facile intelligemus, Civitates Ferrariæ, COMACLI, Adriæ, Gabelli, & Arimini, non fuisse specifice expressas inter illas, quæ juraverant. Si dicamus, has jurejurando non affirmasse se devotas Rudolpho, desiderandæ sunt aliæ Urbes, & loca illarum partium, quæ præter designatas juraverant, quemadmodum narratur in Bulla Rudolphi, ac literis Nicolai III. & Joannis XXI. Non licet indicare ullam, nisi fateamur eas fuisse Ferrariam, Ariminum, Adriam, Gabellum, & COMACLUM, urbes sitas in illis partibus & proximas descriptis & nominatis in diplomate Rudolphi: quas quidem Urbes juramentum fidelitatis Rudolpho præstitisse patet etiam testimonio ejusdem Rudolphi & Nicolai III. Rudolphus revocavit juramentum præfatum præstitum a Civitatibus in sua Bulla nominatis & ab aliis non expressis, quæ erant illarum partium & procul dubio juraverant: *necnon & aliis aliarum Civitatum, atque illarum partium, & locorum, quæ ipsius Ecclesiæ Romanæ juris existunt*. Quænam essent eæ Civitates & loca illarum partium, quæ juris Ecclesiæ Romanæ existebant, subsequenter declaravit designando in Bulla §. *& quia decet*, omnes & singulas Civitates pleno jure & integre ac in solidum atque jure ditionis & Principatus ad Romanam Ecclesiam pertinentes.

§. 17. COMACLUM inter Civitates, quæ Cancellario Imperii juramentum præstiterunt: quod per Rudolphum revocatum est.

Quoniam vero in hac declaratione, præter illas omnes, quas juramentum fidelitatis dedisse scimus ex ipso diplomate, comprehenduntur etiam Ferraria, COMACLUM, Adria, Gabellum, & Ariminum, ob oculos ponitur, istas fuisse Civitates illas *illarum partium*, quæ itidem juraverant, sed descriptæ nominatim non erant, & quæ pariter pertinebant ad Sedem Romanam. Idipsum evincit testimonium Nicolai III. qui hac de re postulavit in Bulla aurea designari nomina Civitatum & locorum illarum partium, ne scilicet is error in posterum contingeret, qui irrepserat in mentem Cancellarii, qui id juramentum exe-

exegerat, ignorans, quæ urbes & loca in partibus Exarchatus, & Pentapoleos essent. Ergo si inter has urbes, Nicolaus numeravit Ferrariam, COMACLUM, Ariminum, Gabellum, & Adriam, ac Rudolphus re cognita, eas quoque descripsit, manifestum fit eas itidem simile juramentum dedisse: vel saltem affirmandum, nullam ex illis Civitatibus, ideft COMACLO, Ferraria, Adria, Gabello & Arimino, jurasse fidelitatem quod idem esset: ac reddere inania verba Bullæ aureæ, quæ alias Urbes, etiam præter expressas, in illis partibus id juramentum præstitisse testatur. Quare omnes jurasse dicendæ sunt, cum relatio non possit restringi ad unicam Civitatem, vel potius ad unam, quam ad alias. Si ergo COMACLUM juramentum dederat, & Rudolphus illud per errorem præstitum declaravit & solemniter revocavit, quod esset ea Urbs (quemadmodum reliquæ Civitates ibidem expressæ) sub pleno dominio Sedis Apostolicæ, id sufficit ad probandum COMACLUM tunc fidelitati Romanæ Ecclesiæ obstrictum: quod idem est ac dicere tunc Romanam Ecclesiam COMACLUM possedisse.

§. 18. Ecclesia Romana jure tuetur suum dominium in COMACLUM Actis Rudolphi.

Concludimus itaque, quod si Ecclesia Romana non est in tuto adducens diploma Rudolphi, & declarationem ac recognitionem veritatis ab eodem factam ad æternam memoriam, re cognita, ostensis ac ter recognitis antiquis privilegiis Prædecessorum; ideft in Concilio Lugdunensi, Lausannæ, & per organum Fratris Conradi Ablegati sui in Curia; si inquam non potest sua jura tueri hujusmodi declaratione facta a novem Electoribus Imperii; si post pacificum statum tot sæculorum non habet titulum legitimum repetendi COMACLUM; tenetur ostendere authenticos titulos ante mille annos datos, possessionem actualem ante & post diploma præfatum; debet iterum atque iterum producere diplomata antiquissima Imperatorum, ut fiat ea recognitio, quæ tot vicibus & cum tanta solemnitate facta est ætate Rudolphi coram cætu Cardinalium a Principibus Imperii, ab Ablegatis Cæsareis, & palam facta est ab ipso Rudolpho in Bulla aurea; vix reperiri poterit Princeps, aut Natio, cui ullus titulus etsi clarissimus opitulari possit. Attamen Ecclesia Romana privari non poterat sua possessione centenaria extemplo, ac re prius non discussa. Hinc jure postulat & enixe postulat Sancta Mater Ecclesia a piissimo Imperatore feliciter regnante sibi restitui possessionem Urbis, quam clarissimum est spacio centum & amplius annorum juste & pacifice retinuisse: non enim licet etiam inter supremos Principes spoliare possessione alterum, nisi quando alter usur-

 passet

paſſet Civitatem, & jus ac dominium ſpoliantis eſſet notorium, ac manifeſtum. At in caſu, de quo agitur, Eccleſia nedum non occupavit COMACLUM, ſed oſtendit titulum ſui dominii & Principatus, & quidem titulum, quem verum & legitimum agnovit Rudolphus: primus Auſtriacæ Gentis Imperator agnoverunt etiam Electores novem Imperii, tot Ablegati Cæſarei, tot Proceres, Epiſcopi, & Archiepiſcopi Germani; & jurejurando adprobarunt omnes Cæſares, qui ſucceſſerunt, & ipſe Inviĉtiſſimus Imperator feliciter Regnans in aĉtu ſuæ Elećtionis. Quemadmodum igitur Rudolphus piiſſimus Princeps revocavit juramentum fidelitatis, quod ſuo Cancellario præſtiterant Civitates plures Romanæ Eccleſiæ ſubjećtæ, edoćtus eas ad dićtam Eccleſiam pertinere; ita ſperare juvat Inviĉtiſſimum Imperatorem JOSEPHUM pietatis Auſtriacæ heredem nunc idem faćturum.



DISCUS-

DISCUSSIO II.

Super eodem Articulo I. de diplomatibus Rudolphinis & Electoralibus.

SYNOPSIS.

Acta & scripta per Rudolphum I. Imperatorem & Electores Imperii pro ditionibus Sancti Petri & Comaclo, amplius firmantur & a quibuscunque objectionibus vindicantur.

§. 1. Conventus diei 11. Septembris 1710. circa Constitutiones Rudolphinas & Electorales.

IN Conventu habito sub die 11. Septembris Reverendissimus D. Corradinus Archiepiscopus Athenarum ita respondit iis, quæ dicta fuerant ab Excellentissimo D. Marchione de Priè Legato Cæsareo, qui conatus erat evertere quidquid Eminentissimus D. Cardinalis Gozzadinus in conventu diei 4. Augusti mox elapsi retulerat ad vindicandum dominium Ecclesiæ Romanæ in Comaclum.

§. 2. Objecta diplomatibus Rudolphi I.

Plura sane magno studio cumulata in eadem Sessione Excellentissimus D. Legatus Cæsareus in unum digessit, quæ dividere oportet, ut magis dilucide reiiciantur.

I. Affirmavit, documenta adducta per dictum Eminentissimum ad ostendendum ea, quæ acta sunt inter Nicolaum III. & Rudolphum I. & cetera, quæ gesta fuerunt in Concilio Lugdunensi a Præposito Spirensi Ablegato Rudolphi, & Lausannæ ab eodem Rudolpho, atque Romæ a Fratre Conrado, ac Præposito Soliensi pariter Ablegatis Cæsareis, & consensum atque confirmationem Principum Imperii; non fuisse probata cum documentis authenticis.

II. Gesta per Ablegatos prædictos Rudolphi, non respondere mandatis Cæsareis, quæ iidem obtinuerant.

III. Principes Imperii non consensisse cum solemnitate tunc necessaria.

IV. Constitutionem Rudolphi I. jam exhibitam non carere suspicione.

V. Comaclum in eadem Constitutione scriptum fuisse inconsultò ad suggestionem solam Nicolai III. Romani Pontificis.

VI. Eandem Constitutionem esse obreptitiam, & obreptionem erui ex gestis præcedenter per Rudolphum, qui protestatus est se velle confirmare donationes Prædecessorum suorum. At cum in donationibus præcedentibus nunquam inclu-

sum

sum dicatur COMACLUM, hinc intelligi Rudolphum per errorem inter Civitates ad jus Ecclesiæ Romanæ spectantes, COMACLUM designasse. Additur etiam Rudolphum erronee putasse non Imperium, sed Ecclesiam Romanam COMACLUM possedisse: & cum hoc falso supposito donasse & donationes præcedentes confirmasse, ideoque & COMACLUM ad Ecclesiam Romanam pertinere proclamasse in suo diplomate. Veruntamen cum constare dicatur, Sedem Apostolicam COMACLUM nunquam possedisse, hinc errorem Rudolphi desumi, sicuti respectu Corsicæ, & Sardiniæ, Adriæ, & Gabelli, quas Civitates & Provincias in eadem Bulla aurea Rudolphi descriptas, nusquam Romanam Ecclesiam possedisse constat.

VII. Insistitur super pluries petita exhibitione vetustissimorum Diplomatum Ludovici Pii, Ottonis Magni, Henrici II. & aliorum Imperatorum, qui eos præcesserunt, aut sequuti sunt, necnon traditione exemplaris Bullæ aureæ Rudolphi, in *formam picturæ* redacti, uti ajunt, ut videre possint Ministri Cæsarei quid juris sibi reservaverint Cæsares super Provinciis & Civitatibus restitutis, donatis vel concessis Romanis Præsulibus.

VIII. Demum, tueri contenditur possessionem COMACLI de facto & vi armata habitam postquam Ecclesia Romana eam Civitatem uti devolutam spatio centum & ultra annorum pacificè possederat: atque afferuntur conquæstiones Cæsarum & documenta tunc parata ad id opidum recuperandum.

§. 3.
Responsiones ad objecta contra diplomata Rudolphi I.

Veruntamen prædicta omnia & quæ etiam adduci possunt, nullius prorsus sunt ponderis, & facilè diluuntur: immo e contrario potius palam faciunt jura Sedis Apostolicæ, itaut movere debeant animum piissimum Invictissimi Cæsaris ad restitutionem COMACLI: quod ex clarissimis argumentis, non ad Imperium, sed ad Sedem Apostolicam & Beatum Petrum pertinere dignoscitur.

Ad I. in conventu diei 3. currentis dixerunt Eminentissimi DD. Cardinales Spinula & Gozzadinus, Ministros Sanctæ Sedis paratos esse ad ostendenda omnia documenta authentica, relata a dicto Eminentissimo Gozzadino in conventu diei 4. Augusti, ideoque epistolas scriptas a Joanne XXI. & Nicolao III. ad Rudolphum & Electores Imperii; mandata procuræ Rudolphi, Instrumentum publicum recognitionis solemnis factæ in Concilio Lugdunensi, ubi tot Germani Præsules & Principes recognoverunt veritatem diplomatum Ottonis IV. & Friderici II. Instrumenta authentica juramentorum præstitorum tam ab

ab Ablegato Cæsareo in eodem Concilio, quam ab ipso Rudolpho Lausannæ in Consistorio, necnon omnium aliorum gestorum per Præpositos Spirensem & dein Soliensem & per Fratrem Conradum, ac per ipsum Rudolphum: & concordatum fuit Illustrissimum D. Regentem Caroellium mecum ad invisenda omnia prædicta ad Archivum Apostolicum accessurum. Accedat itaque dictus D. Regens, videat, inspiciat, & referat; nos enim prompti sumus ostendere ipsa originalia.

Ad II. facile respondetur: Rudolphus Præposito Spirensi dedit mandatum per instrumentum publicum nomine suo confirmandi, concedendi, jurandi, ceteraque omnia implendi, quæ Prædecessores sui pro Romana Ecclesia fecissent. Dedit insuper illi mandatum faciendi quæ in præmissis & circa præmissa essent necessaria & opportuna, etiamsi mandatum exigerent speciale, uti in Appendice pag. 21. & 22. Præpositus præfatus Procurator, ut posset concedere, confirmare & jurare quemadmodum fecerant Prædecessores, inspexit diplomata Ottonis IV. & Friderici II. qui immediate præcesserant & ut rem diligentius gereret, fecit quod erat necessarium, nempe curavit ea diplomata recognosci solemniter, elegitque ad id quatuor Archiepiscopos Electores Imperii, novem alios Episcopos Germanos, qui Concilio aderant, & duos Imperii Principes, qui omnes recognoverunt ea diplomata non deleta, nec corrupta, sed authentica & Bullis aureis ipsorum Imperatorum munita. His visis & gestis nomine Rudolphi declaravit, juravit, & concessit Ecclesiæ Romanæ quicquid Prædecessores ejusdem concesserant, confirmaverant & jurejurando promiserant.

§. 4. Sequuntur responsiones ad objecta contra diplomata Rudolphi I.

Itaque si concessit, confirmavit & juravit, hæc fecit secundum literam mandati procuræ: si inspexit diplomata, eaque recognosci fecit, egit id quod erat omnino necessarium, & sine quo actum commissum implere non potuisset: non enim poterat confirmare & concedere ea, quæ gesserant prædecessores Rudolphi, nisi inspexisset eorum concessiones & confirmationes, eorumque diplomata recognosci curasset: & hæc pars includitur sub mandato faciendi circa præmissa omnia necessaria & opportuna, etiamsi exegissent mandatum speciale, uti notissimum est. Recognosci itidem curavit ab iisdem diploma assensus, quem Principes Imperii præstiterant confirmationi & concessioni, quas Fridericus II. fecerat: ut in pag. 23. & sic redargui solum potest Procurator de nimia diligentia, quam adhibuit & quam adhibere debebat ex mandato: neque excessit, immo abundantius imple-

plevit mandatum. At cum Rudolphus dein Lauſannæ in Conſiſtorio publico relatis omnibus iis, quæ geſſerat Lugduni Spirenſis ejus Procurator, inſertoque toto tenore, ea ratificaverit, ac nomine ſuo & de voluntate ſua acta fuiſſe recognoverit; non eſt cur in rebus clariſſimis nodus in ſirpo queratur. Præſertim quia & ipſe Rudolphus recognovit uti authenticas literas aſſenſus, quem Electores Imperii dederant conceſſioni & confirmationi Friderici II. uti in pag.36. easque literas exemplari juſſit, voluitque exemplo prædicto credendum tanquam originali, quo nil ſolemnius haberi poteſt.

§. 5.
Sequuntur reſponſiones ad objecta contra diplomata Rudolphi I.

Præterea & in alio mandato procuræ tradito Fratri Conrado Ablegato ſuo tempore Nicolai III. quod pag.60. refertur, iterum atque iterum rata habuit omnia quæ Præpoſitus Spirenſis Cancellarius ſuus egerat, promiſerat, edixerat, confirmaverat, conceſſerat, juraverat & recognoverat coram Gregorio X. Lugduni. Et conſtituit Procuratorem præfatum Fratrem Conradum ad approbandum, renovandum & concedendum Romanæ Eccleſiæ quidquid Spirenſis & ipſe Rudolphus conceſſerant & probaverant: & cum hoc mandato dato etiam ad ratificandum geſta per Spirenſem Præpoſitum, Frater Conradus omnia emologavit, rataque habuit, & dein Rudolphus ipſe in alio diplomate ſolemniter ratificavit quæ geſſerat Conradus Nuncius ſuus, inſerto toto tenore ratihabitionis & geſtorum per eundem, uti pag.96. 97. & ſequenti. Atque ideo ſi hæc non ſufficiunt, ignoramus quid certi in orbe terrarum dari queat. Remanet itaque probatum luculenter, diplomata Ottonis IV. Friderici II. ac Principum Imperii, fuiſſe ſolemniter recognita & pro authenticis habita a Rudolpho, duobus ejus Ablegatis cum legitimo mandato procuræ, novem Epiſcopis Germanis, quatuor Electoribus & duobus Principibus, adſtante cœtu Cardinalium in publico Conſiſtorio Gregorii X. Nec contra quicquam facit, eosdem actus geſtos fuiſſe ſine Principum Imperii aſſenſu; nam huic recognitioni diplomatum, & ſic veritatis, non debebant aſſentiri Electores Imperii, qui aſſenſum ſuum præſtiterunt Bullæ aureæ Rudolphi, & iis omnibus, quæ is geſſerat, ratificaverat, confirmaverat, ac declaraverat & donaverat, uti legitur in pag.108.

§. 6.
Objectiones ex Conringio contra diplomata Rudolphi I.

Ad III. dicimus, Principes Imperii cum ſolemnitate tunc neceſſaria ſuum aſſenſum diplomati Rudolphi præſtitiſſe, quemadmodum in dicto Conventu diei 4. Auguſti probatum fuit. At contra Hermannus Conringius adducitur, qui in tract. de finib. Imper. lib.2. cap.20. ait, ordines omnes Imperii non conſenſiſſe, quin neque omnes Electores; & Rudolphum non meminiſſe in

ſuo

suo diplomate impetrati Principum consensus, sicuti meminerat Fridericus in suo. Refert etiam discrepantiam inter Bzovium & Baronium super subscriptione eorundem Principum. At quinam poterat infensior Ecclesiæ Romanæ adduci homine Lutherano, & illo quidem, qui in laudato cap.20.num.14. & passim (quod horremus referre) Summos Ecclesiæ Romanæ Præsules, ut iniquissimos proscindit, totusque in eo est, ut maledice traducat facta Pontificum, falsisque argumentis jura Sanctæ Sedis evertere conetur?

§. 7. Refutatio objectionum Conringii contra diplomata Rudolphi.

Fallitur tamen, cum eo tempore non omnes Ordines Imperii, sed Principes, idest soli Electores jus haberent assentiendi. Pax quidem inter Fridericum & Alexandrum III. firmata, in qua statutum est Provincias & Civitates Romanæ Ecclesiæ restituendas, electiones quasdam abrogandas, aliquasque consuetudines Imperio jus summum dantes, abolendas, a solis Principibus Imperii & quidem non ab omnibus confirmata fuit: nec aliquis, quin neque Goldastus alioquin Romanæ Ecclesiæ infensissimus, qui eam refert, ausus est eam minus solemnem asserere. Sed & ipsa diplomata Ottonis IV. & Friderici II. solemniter tunc, uti dictum est, recognita, consensum Principum Imperii, non omnium ordinum exhibent. Ita Fridericus in Bulla relata pag.13. se confirmasse & donasse asseruit de consensu Principum Imperii: qui postea diplomate separato, anno 1220. & sic longe post juramenta præfata & concessiones factas per Fridericum, assenserunt. Falsum est, paucos Electores, ut nugatur Conringius, consensum dedisse, cum fuerint undecim: quinam vero desiderentur, penitus ignoramus.

§. 8. Refutatio aliarum objectionum ex Conringio.

Neque necessarium erat Rudolphum meminisse in diplomate impetrati assensus Electorum, uti Conringio arridet: nam nemo id ausus est dicere, satisque est ut ille præcedat vel sequatur. Quod si Fridericus II. in suo diplomate asseruit, se concessisse de consensu Principum Imperii; id tamen non probat necessitatem sub pœna nullitatis, quam nisi lex imponat, Conringii pravum ingenium eam inferre non poterat. Et tamen in diplomatibus Ottonis IV.pag.9.10.& 11. is consensus Principum non enunciatur, neque in pace firmata inter Fridericum & Alexandrum III. neque in aliis innumeris, quibus dein per actum separatum Electores assensum dederunt.

§. 9. Refutatio objectionis contra diplomata Rudolphi ex discrepantia inter Baronium & Bzovium.

Quod vario modo rem referant Baronius & Bzovius, quasi alter affirmaverit omnes in unum convenisse ad subscribendum, alterum separatim subscripsisse, alterum uni diplomati, alterum pluribus subscripsisse, nil omnino refert. Præfati enim tenorem

integrum diplomatum Electorum non exscripserunt, substantiam vero retulerunt, & nomina Principum, qui subscripserant: & cum re vera Otto Marchio Brandeburgensis & Ludovicus Comes Palatinus seorsim consensum suum præstitissent, alii vero novem simul in uno diplomate, uti legitur pag. 108. & sequenti; hinc in relatione subscriptorum prædicti Auctores variare potuerunt. Quid autem obsit hæc Scriptorum discrepantia in re non substantiali, quando ostensa sunt originalia, quæ adhuc servantur, videat quisquis sine supercilio in rem hanc disquirere velit.

§. 10. Responsio ad objecta diplomatibus Rudolphinis ex assensu Principum Imperii.

Cetera quæ superioribus objectionibus accedunt, nihil omnino evincunt, veluti æquivoca. Nam in instructione a Nicolao III. data Giffrido Ablegato suo ad Rudolphum, non dicitur, quemadmodum supponitur, necessarius fuisse assensus Principum, atque etiam Ordinum Imperii in actu diplomatis obtinere; immo his omnino contraria narrantur. Etenim Pontifex jubet procurari assensum Principum Imperii tantum: exposci, & quidem *omnium simul, vel divisim, aut singulariter*, idque post diploma Rudolphi editum; quamvis instruat Nuncium suum, ut curet testes diplomati Rudolphi adhibendos esse Principes & Nobiles, ut ita in perpetuum constaret etiam ex subscriptione horum testium de indubia legalitate, prout factum est: quod quidem nil concludit respectu assensus præstandi a Principibus Imperii, de quo Pontifex infra verba fecit: quique assensus haberi non poterat a testibus subscripturis ad probationem & legalitatem, non autem ad solemnitatem assensus. Quamobrem cogimur tueri argumentis rem manifestissimam & vulgarem Germanis omnibus, ac veritatem ipsam propugnare adversus dicteria Conringii & Acatholicorum.

§. 11. Iterum confutantur objecta Conringii in acta Rudolphi I.

Ad IV. suspicio adversus diploma Rudolphi coram exhibitum, educitur ex Conringio loco mox citato, cui jam satisfecimus. Is enim plurimum ponderat discrepantiam inter relata per Baronium & Bzovium super exemplari hujus diplomatis: ait enim Bzovium enumerare plures actus factos in Concilio Lugdunensi & Lausannæ ac Romæ, sed ignorari ex quo Codice ille eos actus excerpserit: Baronium vero ex Codice Vaticano se ea deprompsisse asserere, Bzovium ignorasse tabulas Principum Imperii, qui consenserunt, Baronium eas descripsisse: hinc arguit per utrumque narrata non esse deprompta ex autographo aliquo, maxime cum ii non retulerint integrum tenorem, sed summam dumtaxat diplomatum. Hæc nihil morari debemus, cum summa recitata per Baronium & Bzovium respondeat autographo, quod coram exhibuimus: & si isti rem aliter narrassent, vel in ali-

aliquo variassent, originali jam exhibito est credendum: quod quidem si ipse Conringius, alias Ecclesiæ Catholicæ infensus, vidisset, atque authentica mandata procuræ Rudolphi, necnon instrumenta gestorum in Concilio Lugdunensi, Lausannæ & Romæ per ejus Ablegatos Cæsareos, forsan hæc inania commenta non excogitasset.

§. 12. Diluuntur aliæ objectiones contra Acta Rudolphi I.

Hæc ad Conringium. Jam vero ad cetera in hoc Conventu adducta veniamus. Objiciunt nostrum diploma non esse subscriptum a Proceribus Imperii, quemadmodum aliud eadem die datum, quo adprobavit Rudolphus omnia gesta per Fratrem Conradum: item nostrum habere monogramma, aliud nequaquam. Veruntamen satis sit ponderare, in nostro diplomate contineri donationem & confirmationem concessionum, restitutionum, & declarationum factarum a Prædecessoribus Rudolphi favore Ecclesiæ Romanæ, & Romani Pontificis: aliud vero referre ratificationem gestorum per Conradum Ablegatum Cæsareum. Nostrum est directum Nicolao III. Romano Pontifici, aliud nemini: nostrum est de actis primi ordinis vim constitutionis habens. Illud potius quandam instrumenti imaginem præfert. Haud mirum, si nostrum habet monogramma; illud nequaquam: si nostrum non est subscriptum a testibus, quos interfuisse testatur ipse Rudolphus, aliud est testium subscriptione munitum: si tandem Cancellarius Aulæ Imperialis nostrum diploma recognoverit pro Archiepiscopo Moguntino Archicancellario Imperii secundum morem illorum temporum; alteri vero tanquam testis & Cancellarius simpliciter se subscripserit. Si vero utrumque Bulla aurea munitum est, id factum putamus ad majorem probationem alterius, continentis ratificationem gestorum per Conradum: atque ideo non est cur inde ulla arguatur suspicio: quæ prorsus diluitur ex forma diplomatum similium nostro, Ottonis scilicet IV. & duorum Friderici II. quæ omnia pro authenticis habita & recognita solemniter fuere, uti sæpe dictum est. Ab Ottoniano testes absunt, Bulla aurea in eo pendebat, aderat Principis monogramma, ac Cancellarius Aulæ vice Archiepiscopi Moguntini Archicancellarii Imperii illud publicaverat & recognoverat. In uno & altero Friderici, testes adfuere, at non subscripserunt: neque Imperator, sed solus Cancellarius vice Archicancellarii, quemadmodum superius relatum est, illud recognoverat, ac Protonotarius Regalis Aulæ manu sua obsignaverat. Hæc quidem omnia leguntur in diplomate Rudolphi, quod signo Imperatoris munitum est, ac recognitione Rudolphi Cancellarii vice Archican-

cellarii Imperii, quodque obsignavit Protonotarius Imperialis, coram pluribus testibus Nobilibus & Principibus. Quamobrem verum est quod semper diximus, morem eorum temporum fuisse, ut Imperatores similibus Tabulis sese non subscriberent, illasque signo Imperiali & Bulla aurea munirent, ac recognitione Cancellarii, testiumque præsentia. Sic inspici possunt apud Goldastum Const. Imperial. tom. 1. pag. 285. 292. 298. & 304. plura Friderici I. ac Friderici II. diplomata, nostro prorsus similia cum signo, sine subscriptione Cæsaris, & testium, cum Bulla aurea vel sine ea, ac recognitione Cancellarii vice Moguntini Archicancellarii Imperii. Quare planum est morem ejus ætatis hunc fuisse.

§. 13. Diplomata Rudolphi I. & Electorum Imperii pro Romanæ Ecclesiæ ditionibus & Comacio, in Germania servantur.

At cur suspectæ fidei accusatur diploma Rudolphi, alterumque Electorum Imperii, quando illa in Germania servantur, & adhuc in Archivis Austriacis extant? Hoc ita esse testatur Aventinus lib. 7. Annal. apud Conringium lib. 2. cap. 20. num. 8. qui quidem Aventinus, licet maledicta & calumnias congerat in Nicolaum III. ac Rudolphum, adeout nauseam moverit ipsi Conringio licet infenso; attamen testatur Rudolphum integras Regiones, Civitates, Provincias, & Romandiolam Ecclesiæ Romanæ donasse, dein ait: *extant hujusmodi diplomata, qui curiosius ea legere velit, inquirat & ipse*.

§. 14. Diplomata Rudolphi I. & Electorum Imperii pro ditionibus Ecclesiæ Romanæ & Comacio, extant in Bibliotheca Cæsarea.

Adduxit Eminentissimus Gozzadinus in Conventu diei 4. Augusti testimonium Abbatis Seifridi, qui genealogiam Cæsarum Austriacæ Gentis recensuit, & refert se vidisse regestum epistolarum Rudolphi I. in quo confirmatio donationis Rudolphi Ecclesiæ Romanæ, a Principibus Imperii facta aderat: quod habet etiam Lambecius in dicto Conventu relatus. At respondent Lambecium in Diario Sacri Cellensis itineris Viennæ typis edito anno 1666. pag. 212. referre a se reperiri non potuisse Codicem illum epistolarum Rudolphi, quem inspexerat Abbas Seifridus. At cur ab eodem Lambecio non sciscitantur, an deinde ipse eum Codicem nactus fuerit? Siquidem scimus eumdem testari in libro Originum Hamburgensium iterum edito Hamburgi anno 1706. pag. 22. eum Codicem a se repertum, extare in Bibliotheca Cæsarea sub num. 262. Quid plura? Goldastus ipse, qui pro virili Jura Romanæ Ecclesiæ evertere studuit, tacuitque ea diplomata, quæ suis cavillationibus proderant, tom. 1. Const. Imper. pag. 312. refert diploma consensus dati per Electores Imperii concessioni & donationi factæ a Rudolpho Romanæ Ecclesiæ cum designatione Civitatum, inter quas Comaclum, quod ad literam respondet diplomati in Dissertatione historica rela-

relato pag. 108. & alteri pag. 110. & sequenti, licet ipse non referat omnes subscriptos, & confundat eos, qui seorsim consenserunt non una sed variis diebus. Nicolaum quoque Serarium histor. Mogunt. pag. 93. hujus Electorum Imperii diplomatis tanquam omni suspicione carentis disertis verbis meminisse non ignoramus. Ergo in dubium vocare diplomata Rudolphi & Electorum, quæ adhuc extant in Germania, & notissima sunt, id ipsum est ac lucem meridianam negare. Cur ergo exigatur exemplar nostri diplomatis instar *picturæ*, ipsi viderint, qui adeo subtiliter in rem apertissimam inquirunt. Ego quidem non intelligo qua ratione possit exemplar accusari falsitatis, vel ex eodem dignosci an autographum suspicione non careat.

§. 15. Cur Electores Imperii sine die & loco diploma suum ediderint pro ditionibus Ecclesiæ Romanæ & Comacio.

Hinc nil prodest, quod Principes Imperii sine die & loco diploma dederint. Quippe dum ii non una simul, sed seorsim; non uno die, neque uno loco, sed variis temporibus, id diploma suo signo muniverint, dies aut locus addi non poterat sine nota falsitatis; neque desunt similia diplomata sine die & loco, sed cum indictione & anno. Immo etiam Goldastus, qui idem diploma refert sine die & loco, falsitatis notam eidem inurere non est ausus, optime sciens plura iis similia ætate illa ac superiori exarata diplomata reperiri, quæ in omnibus verissima sunt.

§. 16. Acta Rudolphi I. ab Alberto I. Henrico VII. Carolo IV. & Sigismundo Imperatoribus expresse confirmata.

Hactenus dictis accedunt acta per successores Rudolphi. Albertus quippe Imperator Bonifacio VIII. jurejurando promisit, se non immutaturum, immo confirmaturum, servaturum, & iterum concessurum quæcunque a Rudolpho Patre suo, & ab aliis Prædecessoribus Augustis, Ecclesiæ Romanæ restituta, donata, ac confirmata fuerant. Sic Henricus VII. Rudolphini diplomatis meminit in sua confirmatione, in qua expressit Exarchatum Ravennæ cum omnibus Civitatibus, Terris, & terminis designatis in concessione Rudolphi, ut in diss. histor. D. Zacagnii pag. 54. & 55. Carolus IV. itidem, quemadmodum refert Raynaldus ad annum 1346. §. 19. & 1347. §. 3. ac Sigismundus ex eodem Raynaldo ad annum 1433. §. 12. & 14. Quare id diploma notissimum tunc erat Imperio, ac Cæsaribus atque ab iisdem ratum habitum & approbatum.

§. 17. Recensentur acta Pontificum Gregorii X. Ioannis XXI. & Nicolai III. cum Rudolpho I. pro omnibus Civitatibus Exarchatus atque etiam Comacio.

Ut V. objecto satisfaciamus opus est historiam facti retexere. Post gesta Lugduni ab Ablegato Rudolphi, ac Lausannæ ab eodem Rudolpho, quibus, uti superius relatum est, ille Exarchatum Ravennæ & Pentapolim ad Romanam Ecclesiam spectare solemniter & jurejurando recognovit, Nuncii Rudolphi, qui in Lombardiam venerant, Exarchatum & Pentapolim vexare cæperunt, exigentes a Civitatibus illis juramenta

fide-

fidelitatis Rudolphi nomine. Hos redarguit Gregorius X. anno 1275. in epistola, quæ refertur pag. 37. Joannes XXI. anno 1276. duas dedit ad Rudolphum epistolas pag. 39. 40. & sequenti: quibus eas Civitates ad Sedem Apostolicam pertinere affirmavit. Confirmationes, pacta, & juramenta ejusdem Rudolphi recenset, errorem suorum Nunciorum palam facit & rogat, ut ea juramenta aboleri faciat, proclamans eas Civitates ad Exarchatum & Pentapolim, & sic ad Provincias in juramentis Rudolphi designatas pertinere. Rudolphus I. mortuo Joanne Papa & Nicolao III. Pontificatum gerente, misit Gottifridum Præpositum Soliensem Protonotarium suum cum mandato speciali Procuræ ad id juramentum revocandum. Hic id juramentum revocavit, mandavitque eas Civitates Summo Pontifici tanquam vero Domino obtemperare, uti in pag. 72. 73. & 74.

§. 18.

COMACLUM ad Sanctam Sedem pertinens ex literis Nicolai III. ad Rudolphum I.

Nicolaus III. in literis ad Rudolphum I. diei 5. Junii 1278. ne in futurum generalitas gigneret novum errorem, duo postulavit I. ut Rudolphus in sua Bulla aurea, quam se editurum promiserat Lausannæ, memorata juramenta irrita declararet II. ut in ea palam recognosceret & fateretur quænam Civitates de Exarchatu vel Pentapoli essent & ad Romanam Ecclesiam spectarent, designando earum nomina: inter quas COMACLUM recenset, ut in pag.48. & 49. In altera epistola rei veritatem ostendit Rudolpho, scribens, se rem *novam* & *insolitam* non postulare, sed factam a pluribus Prædecessoribus Augustis, ad quem effectum apographa trium diplomatum, Ludovici Pii, Ottonis Magni, & Henrici II. epistolæ inseruit, in quibus eæ omnes Civitates exprimebantur: & ne in dubium vocaretur fides apographorum, subjungit, autographa Conrado Nuncio Rudolphi inspicienda se commisisse, & quoad articulum illum, idest expressionem Civitatum, exemplanda concessisse. Quare Conrado ex ipsis autographis concessum fuerat eorundem particulas exscribere. Deinde eodem anno die 17. Novembris ad Rudolphum aliam scripsit epistolam, qua idipsum postulavit, necnon assensum Principum Imperii: quamobrem se illuc Giffridum Nuncium suum mittere significavit pag.89. Die vero 21. Decembris Nicolaus aliam dedit epistolam ad Imperii Electores, iis similem, quas ad Rudolphum scripserat: in qua non oscitanter, sed disertis verbis palam facit omnes illas Civitates, quas expresserat, esse in multis privilegiis Romanorum Imperatorum olim designatas pag.93.

Fra-

§. 19.

Ex ultro utroque actis per nuncios, diplomatum pondus & auctoritas comprobatur.

Frater Conradus Nuncius Rudolphi, & Giffridus Nuncius Pontificis rem univerſam ad Rudolphum retulerunt, qui non uno die, ſed novem menſibus negocium digeſſit; diploma namque datum eſt ſub die 14. Februarii anno 1279. Die 21. Decembris 1278. Pontifex epiſtolas dedit hac de re, uti diximus, ad Electores Imperii: conſenſus autem Electorum haberi non potuit niſi menſe Octobris anni 1279. ideoque poſt decem menſes; Ludovicus namque Comes Palatinus conſenſit ſub die 19. Martii, Otto Marchio Brandeburgenſis die 12. Septembris, alii, uti diximus, circa menſem Octobris. Et cum Archiepiſcopi Moguntinus & Trevirenſis adhuc conſentire morarentur ob aliquas ſubortas difficultates, & Giffridus Nuncius Pontificis ab iis receſſiſſet, Romam re infecta rediturus, ac prædicti Archiepiſcopi binos Canonicos miſiſſent ad Nicolaum, qui dubia eorum exponerent, factum eſt, ut Pontifex Nuncium ſuum redire in Germaniam juberet, & Canonicos remitteret, qui omni hæſitatione ſublata una cum Giffrido Nuncio Apoſtolico conſenſum ab iiſdem Electoribus impetrarunt, quemadmodum epiſtolæ Nicolai III. ad præfatos Archiepiſcopos & ad Giffridum manifeſtant pag. 106. & 107.

§. 20.

Maturitas & gravitas rei geſtæ in diplomatibus Rudolphinis & Electoralibus edendis expenditur.

Ex his igitur intelligi poteſt quanta maturitate & gravitate res hæc acta ſit, non inconſulto, ut perperam aſſeritur, ſed re cognita, objectionibus adductis, & ſolutis, hæſitatione ſublata, inſpectis legitimis titulis, eorumque apographis communicatis, & cognito, quod eæ Civitates ſub Exarchatu & Pentapoli continerentur; viſis item originalibus a Fratre Conrado. Nam ſi Pontifex Rudolpho ſcripſit ſe eidem Conrado Nuncio Cæſareo poteſtatem dediſſe originalia inſpiciendi in Archivis Romanæ Eccleſiæ, & exemplaria inde extrahendi: & apographum originalium inſertum fuit eædem epiſtolæ ad Rudolphum datæ; quis unquam ſibi ſuadere poterit, Rudolphum, qui pluribus menſibus rem digeſſit, diploma edidiſſe non prius habita relatione, & non viſis per Nuncium Cæſareum autographis? Id quidem eſt ſtultitiæ inſimulare Rudolphum, ejusque Nuncium, & affirmare a Romano Pontifice, Principes Imperii, & Imperatorem deceptos fuiſſe: quod eſt Conringianum commentum. Præterea jam Rudolphus eas Civitates ad Romanam Eccleſiam pertinere declaraverat anno 1279. in mandato Procuræ exhibito Præpoſito Solienſi: in quo juramenta fidelitatis a prædictis Civitatibus præſtita Ablegatis ſuis, velut iniqua damnaverat, & quidem re cognita & diſcuſſa ab anno 1275. uti in pag. 72. & 73. & ſi per tres annos. Quare cognoverat dictas Urbes ad Exarchatum & Pen-

Pentapolim pertinere in actu damnationis eorundem juramentorum; alias non potuisset asserere eas Urbes ad jus Romanæ Ecclesiæ spectare, Civesque nulli alii juramentum fidelitatis præstare debere, quam Romanis Præsulibus: quibus unis eos parere declaravit: & juramenta exhibita in manibus Ablegati Cæsarei, injusta, erronea, & inania fuisse, neque obfuisse Ecclesiæ, aut jus Imperii per eadem auctum.

§. 21.

Probatur Comaclum comprehendi inter Civitates, quarum juramenta tanquam inique extorta abrogavit Rudolphus I.

Objiciunt Comaclum tantummodo inconsulto, & ad suggestionem diplomatibus insertum, eo quod Comaclenses non jurassent fidelitatem Imperatori. At cur idipsum non dicatur de Ferraria & Arimino, quæ pariter Urbes non designantur inter eas, quæ juraverant, mihi non liquet. At verum quidem est omnia suadere, Comaclum, Ferrariam, Ariminum, Adriam, atque Gabellum simile juramentum præstitisse, nam, uti dictum est in Conventu diei 4. Augusti, Joannes XXI. Nicolaus III. Præpositus Soliensis Ablegatus Rudolphi, & ipse Rudolphus in nostro diplomate apertissime memorant nedum Civitates expressas, sed alias *Civitates, & loca illarum partium* non designatas id juramentum Rudolphinis Ministris præstitisse: quæ quidem *Civitates* non expressæ, quæque pariter juraverant, & quarum juramenta revocata quoque fuerunt, aliæ esse non possunt nisi jam superius memoratæ: quæ erant *in illis partibus*, & ceteris expressis vicinæ. Frustra vero objiciunt posse ea verba intelligi de *Bagnacavallo* non expresso in prædictis actibus, sed designato in epistola quadam Nicolai III. nam id opidum non erat *Civitas*, neque illa verba: *necnon & aliis aliarum Civitatum illarum partium & locorum*, quæ ostendunt non unum opidum aut locum, sed *alias Civitates illarum partium* & loca jurasse, referri possunt ad Bagnacavallum tantum. Neque ea verba referri possunt ad Ferrariam, & Ariminum dumtaxat. Cur enim potius ad has duas Urbes, & non ad alias relatio facienda sit, non intelligitur. Fateor tamen, si illa verba tantum scripta essent, rem adeo planam non fore. Verum cum ipse Rudolphus subjungat: *& aliis aliarum Civitatum illarum partium & locorum, quæ ipsius Ecclesiæ Romanæ juris existunt*, percipere non possum vim contrarii argumenti. Si enim illæ *Civitates* non designatæ, quæ tamen & ipsæ juraverant, sitæ erant *in illis partibus*, & vicinæ expressis, erantque juris Romanæ Ecclesiæ, & tam Ferraria, quam Ariminum, Comaclum, Adria, & Gabellum erant Urbes sitæ *in illis partibus*, vicinæ superius expressis, erantque juris Romanæ Ecclesiæ, dicendum est aut nullam aut omnes jurasse. Nulla dici non

non poteſt, quippe redderetur inanis verborum ſenſus: aliqua ex ipſis tantum, nequaquam: id enim eſſet divinare, nam cur Ariminum & Ferraria fuiſſent, & non COMACLUM & Adria, affirmari non poteſt. Ergo *omnes* juraſſe affirmandum eſt, cum *omnes* eſſent ſitæ *in illis partibus*, & ad jus Romanæ Eccleſiæ pertinerent. Rem ita ſe habere oſtendit diploma Rudolphi, qui ſtatim poſt abrogata juramenta, tranſit ad declarandum quænam eſſent Civitates, Eccleſiæ Romanæ ſubjectæ: & inter illas eodem modo deſcribit eas Urbes ſuperius expreſſas; necnon Ferrariam, Ariminum, COMACLUM, Adriam & Gabellum, aitque eas *pleno jure*, *in ſolidum*, *integraliter*, *& jure Principatus*, *& Ditionis* ad Sedem Apoſtolicam pertinere.

§. 22. COMACLENSES juramentum cum ceteris urbibus præſtitiſſe amplius oſtenditur.

Verum objiciunt, inter epiſtolas a Nicolao III. miſſas ad Cives *illarum Civitatum* nullam COMACLENSIBUS directam reperiri. At quantum id argumentum ſit futile conſtat ex quo Pontificis epiſtolæ datæ ad Bobienſes, Imolenſes, Urbinates, & Cives Montis Feretri deſiderantur; & tamen patet ex ipſo diplomate Rudolphi, ex epiſtolis Nicolai III. & actis Præpoſiti Solienſis, eas Civitates juramentum Rudolpho Cancellario Imperatoris præſtitiſſe, earumque juramenta abrogata: unde fit ex jactura epiſtolæ directæ COMACLENSIBUS non probari eos quoque ſimile juramentum non præſtitiſſe; quin potius oppoſitum, dum Pontifex ad omnes Urbes, quas certo ſcimus juraſſe, minime ſcripſit, quia Ablegatis ſuis dederat poteſtatem ab omnibus juramentum fidelitatis recipiendi. Ad id vero quod ajunt, Joannem XXI. in ſua epiſtola teſtari id juramentum de conſenſu Legati Pontificis in manibus Cancellarii Rudolphi præſtitum, unde educunt, non fuiſſe extortum; reſpondetur, ex ipſa epiſtola conſtare Gregorium X. nuncio hac de re accepto, advocaſſe Legatos Rudolphi, & ipſum Legatum Apoſtolicum, eumque acriter increpuiſſe: prædictis itidem exprobraſſe juramenta præfata perperam recepta & contra factum juratum Rudolphi in Concilio Lugdunenſi & Lauſannæ. Quare Legati conſenſus, ſi tamen adfuit, contra mentem & voluntatem Pontificis, nil proderat, præſertim quia re cognita tam Ablegatus Rudolphi, quam ipſe Rudolphus I. juramentum abrogaverunt tanquam erroneum & extortum ſine conſenſu & voluntate Imperatoris, juſſeruntque Urbes prædictas uni Pontifici parere, & ſic non eſt cur dicatur id juramentum jure & merito præſtitum, quando ipſe Imperator illud perperam extortum fuiſſe diſertiſſimis verbis declaravit.

§. 23.
Comaclum ex suggestione insertum non fuit diplomatibus Rudolphinis.

Hæc quidem sufficerent: & nihilominus aliunde palam fit quamcunque suggestionis suspicionem removeri, & constare expositam fuisse Rudolpho veritatem, etiam quoad Comaclum. Nicolaus III. scripsit ad Rudolphum se rem novam non petere, sed factam a pluribus Prædecessoribus ejusdem Rudolphi, qui easdem Civitates, quas in ea epistola designavit, ad Romanam Sedem pertinere, decreto vulgaverant. Id verum esse admittitur per eruditissimum Ministrum Cæsareum respectu omnium aliarum Urbium, Comaclo excepto. At cur Comaclum excipiatur, non liquet. Pontifex probavit suam assertionem non argumentis eductis ex possessione, quam Ecclesia Romana tenebat, non ex dominatu habito, non demum ex actibus dominii ex facto aliquo resultantibus, ut exadverso divinatur. Etenim ex ejus epistolis hujuscemodi rei mentio nusquam habita est; sed ex donationibus Ludovici Pii, Ottonis Magni, & Henrici II. in quibus eæ Urbes, & quidem Comaclum etiam, exprimebantur; misitque exemplar eorum diplomatum, narrans, Fratri Conrado Ablegato Cæsareo se potestatem fecisse inspiciendi originalia, quæ in Archivis Romanæ Ecclesiæ servabantur. Frustra etiam objiciunt non constare de iis diplomatibus vetustissimis, eaque nunc inspici debere, ut videatur an veritas fuerit exposita. At quis non videt id plura supponere, quæ notam aliquam infamiæ Nicolai III. nomini inurunt? Credere enim Pontificem asserere voluisse Rudolpho Donationes præfatas extare; originalia servari in Archivis, si vere non extabant, aut ea extare nesciebat, vel discrepantia ab exemplaribus transmissis fuissent; Ablegato Cæsareo potestatem dedisse ea inspiciendi, & particulas exscribendi, si id verum non fuisset; affirmare etiam, Rudolphum non habita prius relatione veritatis ab Ablegato suo, non cognita re, nemine audito & proinde in consulto diploma dedisse, idem est ac asserere prædicta per Pontificem dolose exposita, & Cæsarem negocium tam grave satis leviter aggressum fuisse. Et quamvis per eruditissimum Ministrum Cæsareum hæc sub specie suggestionis, suppositi, & obreptionis exponantur, attamen concludunt quod jam exposuimus.

§. 24.
Suggestionis suspicio ab actis Rudolphinis repellitur argumento petito ex antiquissimo jure Sanctæ Sedis in Comaclum.

Præterea quis unquam audivit aut in fastis & gestis Principum, seu in jure Civili, Canonico, aut feudalibus consuetudinibus legit, Supremum Principem, quin & Imperatorem, Pontifici Romano objecisse id quod concessum est ipso Pontifice petente, factum per suggestionem, vel per non subsistens suppositum & obreptionem? Nemo sane. Suggestio enim aut vera, aut falsa est; suppositum quoque aut verum, aut falsum: obreptio

reptio itidem aut in vero, aut in falso. Si vera sunt quæ suggesta, quæque exposita, non est cur privilegium Principis impugnetur. Si falsa, nemo non videt quod probrum Sacrosanctæ Pontificiæ dignitati ingeratur. Verum Nicolaum III. Rudolpho rem veram exposuisse aliunde etiam probatur. Habemus ex Anastasio Bibliothecario in vita Stephani III. qui scripsit ante annos nongentos, Pippinum coegisse Aistulphum Regem Langobardorum ad reddendam Ecclesiæ Romanæ Urbem Ravennam, ceterasque Exarchatus Civitates, inter quas & COMACLUM, uti in pag. 125. in fin. & 126. Misit Pontifex Fulradum Abbatem in eas partes, qui juramenta fidelitatis pro Stephano reciperet & claves, subdens & COMACLUM id juramentum & claves exhibuisse, ut in pag. 126. Has Civitates Pontifices Romanos Stephanum III. Paulum I. Stephanum IV. & Hadrianum I. tenuisse idem Auctor memorat in vita Hadriani pag. 144. *insuper ait*, *& Civitates illas*, *quas antecessores ejus Beatissimi Pontifices Domnus Stephanus*, *Paulus*, *& itidem Stephanus detinuerunt*, *abstulisse*, ubi loquitur auctor de querelis Hadriani contra Desiderium Regem Langobardorum. Ibidem memorat etiam COMACLUM loquens de Ravennatibus, qui Nuncium miserant Hadriano exponentes, *quod jam fatus Desiderius abstulisset Civitatem Faventiam*, *& Ducatum Ferrariæ seu* COMACLUM *de Exarchatu Ravennate*, *quas sanctæ memoriæ Pippinus Rex*, *& ejus filii Carolus*, *& Carolomannus excellentissimi Reges & Patricii Romanorum Beato Petro concedentes obtulerant*. Dein pag. 156. & 157. scribit Carolum Magnum, Desiderio capto, restituisse, iterumque donasse *universum Exarchatum Ravennatium sicut antiquitus erat*. Idipsum narrat Astronomus æqualis Ludovico Pio ad annum 755. scribens Pippinum Italiam ingressum *propter erepta Romanæ Ecclesiæ per Regem Langobardorum dominia*, obsidesque undecim accepisse ab Aistulpho *pro restituendis quæ Ecclesiæ Romanæ ablata fuerant*. Et ad annum 756. referens Aistulphum pacta violasse, & Pippinum iterum Italiam petentem & Papiam obsidentem, sic ait: *ad impletionem promissorum suorum compulit*, *redditamque sibi Ravennam & Pentapolim & omnem Exarchatum ad Ravennam pertinentem*, *ad Sanctum Petrum tradidit*, quo loci de Pippino verba fecit.

§. 25. COMACLUM ab Aistulpho non donatum, sed restitutioni Pippinianæ superadditum.

Objicitur Pippinum donationis pactum cum Stephano Papa fecisse in Carisiaco, neque in ea donatione COMACLUM inclusum, cum Anastasius referat additum fuisse ab Aistulpho secunda vice, qua Pippinus Italiam ingressus est. Hoc argumentum statim corruit; nam Anastasius numquam scripsit Aistulphum Ecclesiæ

Romanæ donasse COMACLUM, sed illud restitutioni, quam præcedenter promiserat Pippino, addidisse: *Dum vero*, inquit, *Pippinus Rex Papiam obsidens constringeret Civitatem, tunc Aistulphus, ut ab obsidione cessaret, quas prius contempserat conscriptas in pacti fœdere reddere Civitates, se modis omnibus professus est redditurum, & denuo confirmato pacto anteriore, quod per elapsam octavam indictionem inter partes convenerat, restituit ipsas Civitates prælatas, addens & Castrum, quod cognominatur* COMACLUM. Ex his luculenter apparet non Aistulphum donasse Ecclesiæ, sed restituisse Pippino, & restitutioni addidisse COMACLUM: quod in pacto præcedenter firmato, idest prima vice, expressum non fuerat. Idem Anastasius statim refert Pippinum *de prædictis omnibus receptis Civitatibus* donationem in scriptis Beato Petro, Romanæ Ecclesiæ & omnibus in perpetuum Pontificibus fecisse, ut in pag. 126. Ergo & COMACLUM restitutioni per Aistulphum factæ in manibus Pippini additum, in hac donatione inclusum fuit, præsertim dum subdit Anastasius juramentum fidelitatis & claves Romani Pontificis Ablegatis COMACLENSES quoque dedisse: & in vita Hadriani inter Civitates a Desiderio Ecclesiæ ablatas COMACLUM describit, quemadmodum superius relatum est.

§. 26. COMACLUM in donationibus Pippini sub nomine Exarchatus comprehensum.

Verum ut factum adeo clarum evertant, opponunt, Carolum Magnum Romæ confirmasse donationem Pippini, at non secundam Romæ ab eo factam, sed primam Carisiaci coram Stephano III. a Pippino firmatam: idque deducunt ex verbis ejusdem Anastasii in vita Hadriani pag. 156. ubi memorat hanc donationem Carisiacensem lectam coram Carolo Magno, ejusque proceribus, pactaque ejusdem per eundem firmata. At non vident se quærere nodum in sirpo. Anastasius quippe in ea donatione a Pippino Carisiaci facta, expressum fuisse *universum Exarchatum Ravennatium sicut antiquitus erat*, disertissimis verbis testatur, dum illum inclusum in donatione Caroli Magni prodit, necnon Pentapolim & Æmiliam: dum fines designat, eas Provincias longe lateque complectentes. Idem confirmat Astronomus ad annum 756. ubi memorat Pippinum Beato Petro tradidisse *Ravennam, Pentapolim & omnem Exarchatum ad Ravennam pertinentem*, quemadmodum superius relatum est. Ut argumento vis aliqua inesset probari debuerat tunc temporis sub Exarchatu Ravennæ COMACLUM non fuisse, quod nunquam probari poterit. Si ex verbis Anastasii ministri Cæsarei mutuantur argumentum, ab ipso Anastasio petenda est solutio. Is enim referens factum Fulradi Abbatis, quem Pippinus miserat ad recipien-

piendum juramentum fidelitatis & claves a Civitatibus Eccleſiæ Romanæ donatis, ita ait: *Et ipſas claves tam Ravennatium Urbis, quamque diverſarum Civitatum ipſius Ravennatium Exarchatus una cum ſupradicta donatione de eis a ſuo Rege emiſſa in confeſſionem Beati Petri ponens*, ut in pag. 126. Dein recenſet Civitates, inter quas COMACLUM. Ergo Hiſtorici opinio & hominum tunc viventium erat, COMACLUM ſub Exarchatu poſitum. Clarius autem in vita Hadriani pag. 144. ubi Ravennatenſes Legatos retuliſſe ſcribit Papæ, quod *jam fatus Deſiderius abſtuliſſet Civitatem Faventiam & Ducatum Ferrariæ ſeu* COMACLUM *de Exarchatu Ravennate, quas ſanctæ mem. Pippinus Rex & ejus filii Carolus & Carlomannus Beato Petro concedentes obtulerant*: quo nil clarius haberi poteſt, & ipſa opinio tunc vigens confirmatur, ex quo Ravennates ipſi id exponebant. Infra eandem paginam refert eas Civitates Stephanum III. Papam detinuiſſe, & ſucceſſores: ergo incluſæ erant ſub Exarchatu a Pippino jam Cariſiaci donato. Aiſtulphus, qui juxta Aſtronomum & Anaſtaſium in primo pacto inito cum Pippino, Exarchatum Ravennæ & Pentapolim ſe reſtiturum promiſerat, reſtituit in ſecundo pacto vel reſtitutioni addidit COMACLUM: unde patet illud ſub generalitate Exarchatus comprehenſum fuiſſe, alias illud non reſtituiſſet, dum Pippinus nil aliud ab eo petebat juxta Anaſtaſium, quam implementum promiſſorum in primo pacto poſtea violato. Demum quod Pippinus COMACLUM Eccleſiæ donaſſet, ſive reſtitutum, ſive additum reſtitutioni ab Aiſtulpho, planiſſimum eſt. Hoc poſito, conſtat Pontifices uſque ad Hadrianum I. tenuiſſe COMACLUM, illudque utpote reſtitutum & donatum a Pippino ſub eorum dominio ac jurisdictione fuiſſe.

§. 27. COMACLUM juris Eccleſiæ fuiſſe probatur ex ſucceſſoribus Caroli Magni.

Videamus nunc quæ fecerint Caroli Magni ſucceſſores. Ludovicus Pius immediatus ſucceſſor in ſua pagina, cujus ſumptum Nicolaus III. inſeruit epiſtolæ ad Rodulphum datæ, ita edixit: *Necnon Exarchatum Ravennatem ſub integritate cum Urbibus, Civitatibus, Opidis & Caſtellis, quæ piæ recordationis Domnus Pippinus Rex, ac bon. mem. genitor noſter Carolus Imperator Beato Petro Apoſtolo & prædeceſſoribus veſtris jamdudum per donationis paginam reſtituerunt. Hoc eſt Civitatem Ravennam &c. Æmiliam &c.* COMACLUM *&c.* Quis non videt Ludovicum Pium dilucide aſſerere tam Pippinum, quam Carolum Magnum donaſſe Exarchatum, & cum eo Civitates inibi deſignatas, inter quas COMACLUM? Quare ſi ætatis illius Hiſtorici & ipſe Ludovicus Pius Caroli Magni ſucceſſor ſub Pippini & Caroli Magni donationis pagina incluſum teſtantur Exarchatum, & in eo COMA-

CLUM

clum nominatum,non est cur argumentis inutilibus certemus, an sub Exarchatu vel donatione Caroli Magni Comaclum comprehensum fuerit. Nec est cur adducantur recentiores Historici, qui scripsere Comaclum sub Exarchatu non contineri, aut sub donatione Caroli Magni non esse inclusum. Quippe æquales Historici & ipse Ludovicus Pius filius & heres Caroli Magni eosdem falsitatis accusant, dum referunt & Comaclum sub donatione Pippini & Caroli Magni comprehensum, & sub Exarchatu inclusum. Quod Ludovicus & ceteri successores confirmaverint donationes Pippini & Caroli Magni, & sicuti confirmatio non extendit confirmatum,ita & donationes omnes successorum nil prosint, nisi ostendatur sub donatione Caroli & Pippini fuisse inclusum Comaclum, hoc nihil refert, cum superius dictum fuerit,evidenter Comaclum comprehensum fuisse, & in pagina Ludovici Pii expressum tanquam inclusum sub Exarchatu, & nominatim sub donationibus Pippini & Caroli Magni: unde fit confirmationem Ludovici probare Comaclum jam a Carolo Magno donatum fuisse. Si enim exprimitur literaliter in confirmatione, signum evidens est illud fuisse inclusum in donatione confirmata, alias pagina Ludovici non esset confirmatio, sed nova donatio.

§. 28.

Vetustissimorum diplomatum Ecclesiæ Romanæ autographa minus æque expetita.

Ut fidem abjudicent his Ludovici tabulis, petunt sibi ostendi originalia earundem, ac diplomatum Ottonis Magni & Henrici II. in quibus hæc ipsa Civitatum expressio facta est. At quis unquam autographum mille annorum & ultra servari potuisse post tot Italiæ ac Romæ præsertim notissimas depopulationes & archivorum incendia, sibi potuit suadere? Inspicerem libenter originalia epistolarum Ciceronis, Sancti Pauli Apostoli, Conciliorum Oecumenicorum quinti, sexti, septimi, & octavi seculi, quin decimi etiam. Originalia quoque jurium Imperialium eorundem temporum. Hæc si peterem ad probandum quo jure possideant supremi Principes in Imperio ac Reges ipsi, illi me remitterent ad Historicos, antiqua exemplaria & similes probationes, quæ vix ac ne vix quidem occurrunt. Cautum est, Dominum posse tantummodo vassallum cogere ad edendum titulum, at non ita supremus Princeps alium supremum æque Principem cogere potest,teste Schradero de Feud.par.10.sect.18. n.89. & sequentibus tom. 2. Nec minus vassallus cogitur ostendere titulum, quando ultra triginta annos possedit, vel quando fuit a Domino sua possessione extemplo spoliatus, & vassallus Domino opponit,ut possessionem restituat: tunc enim non potest Dominus ad se confovendum in spolio cogere vassallum ad osten-

ostendendum titulum, nisi prius restituat, ut prosequitur Schraderus ipse loco citato n. 88. & 94. §. quarto. Ministri Cæsarei postquam Sedes Apostolica COMACLUM centum annorum curriculo possedit, petunt a Pontifice summo, qui non recognoscit Superiorem, exhibitionem tituli, cum quo possederit & ex hac ratione intendunt posse Augustissimum Cæsarem se confovere in possessione rei vi armata occupatæ.

§. 29. Tituli Ecclesiæ Romanæ ostenduntur in actis Rudolphi I.

Attamen ostendimus titulum, producto diplomate clarissimo Rudolphi Austriaci Cæsaris, in quo is fassus est, declaravit, & ad æternam rei memoriam recognovit, COMACLUM ad Ecclesiam Romanam *pleno jure, insolidum, integre, & jure ditionis, ac Principatus pertinere*. Hoc adhuc non sufficit: & quoniam Rudolphus in prima parte diplomatis Exarchatum, aliasque Provincias donatas, restitutas & concessas fuisse asserit in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici Pii, hinc arguunt Ludovici Pii, aliorumque diplomata autographa esse ostendenda. Verum contra stat Joannes Andreas ad Speculatorem lib. 4. par. 3. de feud. §. 1. lit. A. ubi sic docet: *sicut venerandæ memoriæ genitor noster tibi, vel genitori tuo tale feudum concessit: sic & nos concedimus: & an vassallus necesse habeat primum concessionem ostendere; & dicitur quod non.* Andream sequitur Alex. conf. 145. n. 4. lib. 2. ibique Addentes, qui alios referunt. Quid itaque dixisset Joannes Andreas, si non concessionis feudalis, sed diplomatis Imperialis favore Ecclesiæ Romanæ, non concepti per verba conditionalia, sed absoluta mentionem fecisset, in quo Imperator, prout in casu recognovisset, fassus esset, & ad æternam memoriam declarasset Civitates aliquas ad Sedem Romanam pleno jure pertinere? Hoc magis urget, cum Rudolphus non inconsulto hæc retulerit, nam idipsum per tres vices declaraverat in Concilio Lugdunensi ac Lausannæ: fecerat etiam recognosci autographum paginæ Ottonis, & trium diplomatum Friderici II. in quibus idipsum dicebatur: recognoverat & ipse & exscribi fecerat diploma consensus, quem Electores præstiterant concessioni & restitutioni factæ a Friderico, in quo eadem verba adjiciebantur, idest *in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici concessa*: habuerat exemplar insertum epistolæ Nicolai III. diplomatum Ludovici, Ottonis Magni & Henrici II. quæ quidem originalia inspexerat ejus Ablegatus Cæsareus, uti superius dictum est: & sic verba prædicta, quæ non sunt conditionalia, sed assertiva, probant potius, & quidem dilucide, Imperatores prædictos & Rudolphum fassos fuisse & recognovisse Provincias: & Regiones illas fuisse contentas in paginis Ludovici Pii & successorum, quem-

quemadmodum in alio Conventu relatum est. Hæc est veritas, nam ex æqualium Historicorum testimonio intelleximus eas Provincias & Civitates in pagina restitutionis ac donationis Pippini, Caroli Magni, ac Ludovici Pii contentas: & in altero Conventu probatum est, Ludovici Pii tabulas esse veras & easdem Provincias ac Civitates expressas in diplomate Rudolphi, continere ex confessionibus omnium Imperatorum, & præsertim Ottonis & Friderici emissis in diplomatibus in Concilio Lugdunensi recognitis. Item ex diplomate Henrici II. quod Goldastus ipse, alias Sedi Romanæ infensissimus, fortasse tantummodo, aliis successorum suppressis, refert solo animo ostendendi potestatem, quam sibi reservaverat Romæ Henricus in missis & electione Romani Pontificis, tanquam Patricius Romanus & Advocatus Ecclesiæ, uti palam faciunt qui eruditissime in hac causa scripserunt. Goldastus itaque pag. 227. paginam donationis Henrici II. prodit, in qua ita scriptum est: *Necnon Exarchatum Ravennæ sub integritate cum Urbibus, Civitatibus, Opidis & Castellis, quæ piæ recordationis Domnus Pippinus & Otto, & inde Otto filius eius, prædecessores videlicet nostri, Beato Petro Apostolo & prædecessoribus vestris jamdudum per donationis paginam contulerunt: hoc est Civitatem Ravennam & Æmiliam &c. Ferrariam*, Comaclum *&c.* & sequuntur aliæ Urbes expressæ in Rudolphi I. pagina: & sic fatetur Henricus Comaclum comprehensum in donatione Pippini, Caroli Magni, Ludovici Pii, Ottonis Magni, ejusque filii Ottonis itidem, quin & contentum sub Exarchatu. Notanda verba illa *Exarchatum sub integritate*, quæ etiam adducunt Astronomus in vita Pippini & Anastasius jam laudati: & reliqua *Hoc est*, quæ declarant Civitates integri Exarchatus, & exprimuntur etiam in tabulis Ludovici Pii.

§. 30. Nicolaus III. vera exposuit Rudolpho I. dum Comaclum diplomati inserendam curavit.

Ex his intelligitur Nicolaum III. verissima Rudolpho I. exposuisse, & Rudolphum I. non inconsulto, ad suggestionem, & per suppositum, sed consulto, re cognita, & omnibus libratis, nostrum diploma dedisse: & quidem simile ceteris jam memoratis, & Comaclum in eo inclusum non per errorem, aut dolose, sed quia in donationibus prædecessorum expressum fuerat. Hinc nequicquam ad rem facit, Ottonem IV. Fridericum II. & eundem Rudolphum I. in juramentis præstitis Lausannæ & Lugduni coram Gregorio X. non expressisse Comaclum. Quandoquidem expresserunt *integrum Exarchatum*, & Pentapolim & sola nomina Provinciarum, nulla Civitate designata: ac integrum Exarchatum a tempore Ludovici Pii Ecclesiæ donatum. Dum itaque ex prædictis patet Ludovicum Pium confirmasse donationem Pippini

pini & Caroli Magni, qui sub Exarchatu Ecclesiæ donato sive restituto COMACLUM incluserant, aliasque Urbes superius designatas: & constat ab ipso Ludovico Pio omnes Civitates fuisse expressas, & precipue COMACLUM, easdemque sub *Exarchatu* illo *integro* sive universo per eum comprehensas fuisse illis verbis: *Hoc est*, quemadmodum supra retulimus. Hinc intelligitur, Imperatores omnes, potissimum vero Rudolphum I. sub jurejurando Exarchatum donantes & restituentes, sub generalitate inclusisse COMACLUM. Hanc diximus in conventu habito die 4. Augusti fuisse quæstionem tunc excitatam; nam Cancellarius Rudolphi I. juramentum fidelitatis exegerat a Civitatibus Exarchatus & Pentapoleos, putans eas non contineri sub juramentis paulò ante per Rudolphum I. præstitis Gregorio X. in quibus eæ Civitates descriptæ non fuerant. Quamobrem opus fuit pluribus annis insudare ad ostendendum eas Urbes esse de Exarchatu donato a Ludovico Pio. Hac de re Nicolaum III. rogasse diximus Rudolphum I. ut exemplo Ludovici Pii & successorum Civitates illas exprimeret: quemadmodum reapse eas Rudolphus I. in diplomate designavit ad tollendam obscuritatem, quæ oriebatur ex actibus præcedenter ab ipso factis, in quibus Provinciæ generatim designabantur: quod in ipsa aurea Bulla Rudolphus I. declarat.

§. 31. Quare Rudolphus I. Exarchatum, atque etiam COMACLUM expresserit.

Hinc itidem parvipendendum est, Rudolphum I. in diplomatis prima parte Exarchatum & Pentapolim designasse, in secunda vero COMACLUM putasse ab Exarchatu distinctum; nam hujusmodi argumentum nimis probat. Probaret autem, omnes Urbes in secunda parte Bullæ aureæ expressas non esse de Exarchatu, & sic Ravennam ipsam & alias omnes ibidem relatas, atque hoc pacto nulla Civitas designari posset sub Exarchatu principaliter donato, comprehenso & restituto: nam demptis Urbibus expressis in secunda parte diplomatis, remanet Exarchatus sine ulla Civitate, ideoque sine spiritu. Hinc patet primo expressas Provincias, dein ad tollendam obscuritatem, quæ scandalum jam memoratum produxerat, designatas fuisse Civitates in dictis Provinciis inclusas & comprehensas. Cetera quæ objiciuntur, utpote levissimi ponderis, corruunt ex prædictis.

§. 32. Rudolphus I. non declaravit ex supposito, aut ex vana credulitate, COMACLUM esse juris Ecclesiæ Romanæ.

Sexto objecto jam in pluribus satisfecimus: remanet solum disserendum de supposito, cum quo dicitur Rudolphus I. processisse, nempe cum credulitate, quod Ecclesia Romana possedisset COMACLUM. Sed unde hæc credulitas, & id suppositum educantur, non liquet. In epistolis sane Nicolai III. ad cujus suggestionem Rudolphum I. donasse referunt, nulla fit mentio possessionis

Ecclesiæ Romanæ. In diplomate autem Rudolphi I. nullum adest verbum id innuens. Immo lectis relectisque juramentis præstitis à Rudolpho I. per Ablegatos suos Lugduni, & per se ipsum Lausannæ, non potuimus invenire verbum aut dictionem ullam, ex qua hæc Rudolphi I. credulitas arguatur. Si autem affirment hoc educi ex verbis illis: *in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici expressa*, jam dictum est ea verba probare Exarchatum & Civitates ibidem expressas fuisse contentas in pagina donationis Ludovici, neque unquam supponere possessionem tunc retentam. Objiciunt id ipsum desumi ex apographis donationum Ludovici Pii, Ottonis I. & Henrici I. quæ epistolæ ad Rudolphum I. datæ Nicolaus III. inseruit: in quibus paginis sunt ea verba: *sicut a prædecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis & disposuistis*, ac si hæc verba sint conditionalia, & nihil operentur nisi constito prius de possessione antiqua. At cum ea verba non sint scripta in Bulla aurea Rudolphi I. aut in consensu dato ab Electoribus Imperii, vel juramentis per Rudolphum I. præstitis; sed tantùm in diplomatibus prædictis vetustissimis; quæstio hæc directa dicitur ad impugnandas præfatas antiquissimas paginas, & non Rudolphinam, in qua ea verba desiderantur. Explodere autem tanquam nullas donationes Ludovici Pii, Ottonis Magni & Henrici II. ex quo Ecclesia Romana nunc post mille aut nongentos annos non probat se tunc Comaclum possedisse, est reddere inefficacia omnia vetustissima diplomata concessionum ob difficultatem probandi concludenter possessionem adeo antiquam: quam neque ullus Rex in toto Orbe poterit ostendere.

§. 33. Ecclesia Romana possedit Comaclum tempore diplomatis Ludoviciani.

Nihilominus verba prædicta in adversarios retorquentur & probant tempore diplomatum Ecclesiam Romanam possedisse Comaclum. Hoc patet ex distinctione relata per Doctores, qui docent, quod dicta verba quando adjecta leguntur in dispositione ordinata ad concedendum, dictio *sicut* stat pro *quia*, nec ullam conditionem producit ex Bossio de Principe n.351. & si secus foret, dispositio Principis remaneret inutilis. Eodem pacto Ludovicus Pius optime sciens quæ pater, quæ ejus majores Ecclesiæ concesserant & restituerant, omnes Provincias, omnesque Civitates & nominatim Comaclum in paginis Pippini & Caroli Magni expressas, confirmavit, concessit & restituit: atque ideo illa verba *sicut tenuistis & disposuistis*, adjecta non sunt ad evertendam concessionem vel ab obligandam Ecclesiam Romanam ad probandum possessionem anteactam; sed ad asserendum omnes eas Civitates & Opida Sedem Apostolicam usque tunc pos-

possedisse. Ideo Ludovicus addidit dictionem illam *usque nunc*: alias si Ecclesia Romana teneretur probare possessionem ejusdem temporis, Ludovici Pii diploma remaneret inutile & nullæ essent omnes donationes, omnesque concessiones tot seculis & ab omnibus fere Imperatoribus factæ & effectum sortitæ quoad omnes alias Civitates & Provincias expressas in diplomatibus: quod nemo cordatus facile dixerit. Attamen quantum res vetustissima patitur probamus Ecclesiam Romanam eas Civitates & COMACLUM tunc & postea possedisse. Ostendimus ex Historicorum æqualium testimonio patere Ecclesiam Romanam tempore Pippini & Caroli Magni possedisse COMACLUM. Diximus & in alio Conventu, constare de possessione COMACLI a Sede Apostolica habita elapsis seculis ad Rudolphum I. usque, demptis temporibus, quibus vel Imperatores ipsi ante donationes confirmatas, nedum COMACLUM, sed universas ditiones Sanctæ Sedis hostiliter occuparunt, quas postmodum restituerunt: vel post juramenta præstita injuste invaserunt & contra jusjurandum, Urbes Beato Petro concessas & restitutas: vel Tyranni & Urbes ipsæ Rebelles tumultuarie, subditas Civitates & Opida Romanis Præsulibus usurparunt: quæ tempora & qui actus, quibus semper palam Pontifices contradixerunt, & concedendo Opida & faciendo ea, quæ poterant, non officiunt possessioni semper animo retentæ.

§. 34. Diploma Rudolphi I. ostendit dominium & possessionem Pontificiam COMACLI.

Diximus etiam ipsum diploma Rudolphi I. probare possessionem Ecclesiæ Romanæ, dum Civitates ibi descriptas, inter quas COMACLUM, Rudolphus I. fatetur ad Sedem Apostolicam *pleno jure, insolidum, integre & jure Principatus & ditionis* pertinere: quæ concludunt dominium & possessionem: & tamen nil huic argumento respondetur. Jam vero affirmamus COMACLUM tempore expediti diplomatis a Rudolpho I. per Sedem Apostolicam possessum, illiusque Cives jurasse fidelitatem Nicolao III. Diploma prædictum datum est die 14. Februarii anno 1279. Juramentum autem fidelitatis præstitum est anno 1278. Nicolao III. ipsomet Rudolpho I. jubente & abrogante aliud juramentum præcedenter datum in manibus Ablegati sui. Ravennates id juramentum præstitisse constat ex epistolis Nicolai III. ad eosdem scriptis, & ex Rubeo histor. Ravenn. lib. 6. pag. 456. qui addit Cives Viterbium ivisse ad parendum mandatis Pontificis & jurejurando anno 1278. fidelitatem promisisse sub conditione tamen, quod jus haberent eligendi Rectores, vectigalia & portorium exigendi & puniendi eos, qui in *Ravennati ditione maleficia perpetrassent*. Deinde refert quæ Legatus Pontificis eam Urbem & Regionem regens, præstiterit. COMACLUM eo anno, quin & præce-

dentibus & sequentibus erat sub ditione Ravennatium, eodem Rubeo teste, qui lib. 6. ad annum 1279. initio pag. 458. hæc habet: *Cymaclienses eodem hoc anno pridie nonas Julii denuo fidem Ravennatibus sacramento obstrinxere, juraruntque obsequium & obedientiam se præstituros*. Et ad annum 1283. eodem lib. initio pag. 462. hæc: *Inter tot tumultus ne Cymaclienses a Ravennatibus extraherentur, cujus erat non pauca suspicio, anno, qui est insequutus, sexto Idus Januarii Ghirardus Rangonus Mutinensis Ravennæ Prætor, scriptis ad Guidonem Polentanum literis fecit, ut ipsi Cymaclienses denuo sacramentum Ravennatibus dixerint, & pisces magnos centum, vocant Capitaneos, quotannis pridie Natalitiorum Domini, de more afferre promiserint*. Quare si Ravennates fidelitatem Nicolao III. jurarunt eo tempore, quo COMACLO imperabant, palam est & hanc fidelitatem promissam pro omnibus Opidis, quæ illis parebant: quæ quidem non poterant remanere extra ditionem Pontificiam, quando Urbs major, cui obediebant, erat subdita Ecclesiæ, eamque Pontifices supremo imperio possidebant. Præterea etiam jurisdictio, quam exercebat Ravenna in ditione sua ex concessione Nicolai III. profluebat; nam, ut dixi, Rubeus testatur cum hac conditione juramentum a Ravennatibus præstitum, ut ipsi plectere possent eos, qui in ditione sua maleficia perpetrassent. Idipsum indicat juramentum fidelitatis quotannis a COMACLENSIBUS præstitum Ravennatibus ex regula feudali docente, jurantem fidelitatem vassallo, hanc eandem debere vassalli Domino. Hoc & nunc intelligimus servari: nam plura sunt Opida in Statu Ecclesiæ, quæ obediunt, præstant obsequium, canones solvunt & fidelitatem jurant majoribus Civitatibus, cum tamen Civitates ipsæ una cum Opidis subsint Sedi Apostolicæ. Ideo verissimum putamus COMACLUM fuisse inter Civitates, quæ jurejurando promiserant fidelitatem Rudolpho I. nam COMACLUM fecisse dicendum est quod fecerant Ravennates, quibus tunc suberant: quique abrogato juramento, quod præstiterat Cancellario Rudolphi I. jurarunt fidelitatem & paruerunt mandatis Nicolai III.

§. 35. Jus Sanctæ Sedis in Corsicam & Sardiniam tempore Rudolphi I. qui eas fatetur spectare ad Ecclesiam Romanam.

His firmatis, expendamus argumentum, leve illud quidem, deductum ex descriptione Corsicæ & Sardiniæ in paginis Ottonis IV. Friderici II. ac Rudolphi I. ac si quemadmodum expressio horum Regnorum tribuere non potuit Pontificibus jus, quo carebant, deficiente possessione Ecclesiæ; ita dicendum sit de COMACLO, tunc a Sede Apostolica non possesso. At in diplomate nostro non leguntur Corsica & Sardinia: & sic ruit argumentum potissimum, quia Ecclesia tunc Co-

MACLO revera potiebatur. Et quamvis memorata Regna exprimantur in paginis Ottonis IV. Friderici II. & in juramento Lausannæ præstito a Rudolpho, non designantur tamen simpliciter, sed in hunc modum: *Adjutores etiam erimus ad retinendum, & defendendum Ecclesiæ Romanæ Corsicam & Sardiniam, ac cetera jura, quæ ad eam pertinere noscuntur*, uti in pag. 16. & 34. Ex quibus verbis satis Imperatores expresserunt, Pontifices tunc ea Regna non possedisse, sed jus in illis habuisse. Nam Sedi Apostolicæ ea Regna consuetum censum, quem ab antiquissimo tempore pendere consueverant, ad Friderici primi ævum usque solverunt, testimonio Guntheri æqualis ejusdem Friderici, qui lib. 9. pag. 422. referens quæ Pontifex Romanus a Friderico postulaverat, sic cecinit.

Restituatur ei Comitissæ Terra Mathildis,
Et Spoletanus sub eodem jure Ducatus,
Quicquid ab excelsis Romanæ manibus Urbis
Pendentem sejungit aquam Ferraria, Massa
Et cum Sardois uberrima Corsica campis
Pontifici Summo prisco de more tributum
Solvat:

Notetur diversitas dispositionis Rudolphi, qui in nostra Bulla aurea Civitates omnes descriptas, inter quas COMACLUM, ad Romanam Ecclesiam *pleno jure*, *in solidum*, *integre*, *jure Principatus*, *& ditionis pertinere* fassus est. In juramento vero de Corsica & Sardinia disponens, promisit tantum se adjutorem ad retinendum & defendendum ea Regna & jura Ecclesiæ: quod evincit in diplomate recognitum, possessionem, & dominium earum Urbium expressarum fuisse apud Ecclesiam: in juramento vero prædicto satis fuit asseruisse præfata Regna consuetos canones solvere consuevisse. Quæ dicuntur de Adria & Gabello non pertinent ad hunc Conventum, & in altero super possessione COMACLI post Rudolphi diploma, plene etiam in his satisfaciam.

VII. Objectio jam sublata est ex superius relatis ad 4. & 5. Quod si Ministri Cæsarei inquirere student quid sibi reservaverint Imperatores in diplomatibus antiquis, ipsi pro libito inquirant, & inveniant originalia, quæ post tot sæcula ostendere nostrum non est. Inspiciant diplomata Ottonis IV. & Friderici II. ex autographo recognito in Concilio Lugdunensi, necnon aliud datum Lausannæ a Rudolpho I. in quibus reservatur quicquid superiores Cæsares sibi reservandum putaverant. Si enim tres Cæsares cum consensu Principum Imperii exemplo Prædeceſso-

§. 36. Ceteris objectionibus respondetur circa ea, quæ Cæsares in diplomatibus sibi reservare dicuntur.

cessorum quingentis jam lapsis annis & qui eos sequuti sunt, nihil ultra sibi reservandum edixerunt, non est cur hodie vetustissima diplomata expetantur.

§. 37. Nonnisi post restitutionem possessionis de titulis certandum.

Ad VIII. subsistunt, quæ in dicto Conventu diei 4. Augusti relata sunt, & quæ adduximus supra ex Schradero, qui probat restituendam esse prius possessionem occupatam, & postea de titulis certandum: qui si id firmat inter Vassallum & Dominum, quid dicendum inter duos Dominos æque supremos? Nec jactatæ conquestiones Rudolphi II. quicquam faciunt: nam possessio Ecclesiæ Romanæ fuit pacifica & centenaria: si enim Cæsar prætendebat COMACLUM ad se pertinere, nec devolutum ad Sedem Apostolicam fuisse, debuerat ad Pontificem scribere, coram ejus Ministris publice protestari, imo judicialiter; declarare etiam per diploma quicquid oppugnare studebat; ad Principes Italiæ rem denunciare, prout proculdubio poterat, & non *verbo tenus* conqueri, uti Maurocenus Rudolphum fecisse affirmat. Quid enim proderat epistola scripta ad Cæsarem Estensem, qui suggerebat id feudum ad Imperium spectare, ut de COMACLO ab eodem Rudolpho II. investiretur? Hæc non solum non posuerunt Ecclesiam in mala fide possidendi, ut perperam asseritur; sed in positiva bona fide. Nam Clemens VIII. cui gratulabatur Rudolphus II. Ferrariensis Ducatus recuperationem: & Clementis successores, qui nullum actum publicum & solemnem, neque ullam protestationem contra a Rudolpho II. aut a successoribus unquam editam fuisse audierunt: quique si non aliunde, saltem ex diplomatibus Rudolphinis & Electoralibus, COMACLUM ad Romanam Sedem pertinere noverant, titulum justum & manifestissimum suæ possessionis habuerunt, quem non ignorarunt Duces Mutinæ, qui Regis Francorum, non Cæsaris opem pro COMACLO recuperando implorarunt.

Quare luculentum esse putamus ex prædictis, COMACLUM ad Sedem Apostolicam pleno jure, uti Rudolphus I. declaravit, fassus est & recognovit, pertinere.

RELA-

RELAZIONE

Di quanto Monsignor Corradini replicò in voce nel Congresso de' 18. Settembre 1710. a quello che il Signor Reggente Caroelli soggiunse di più sopra il medesimo Articolo I. de' diplomi di Ridolfo I. e degli Elettori dell'Impero, distesa dal Sig. Cardinal Gozzadini.

§. 1. Congresso tenuto in casa del Signor Cardinale Spinola Camerlingo sotto il dì 18. Settembre 1710. dove intervennero i Signori Cardinali Spinola Paracciani Gozzadini Il Signor Marchese di Priè Monsig. Corradini Il Signor Reggente Caroelli.

IL Signor Reggente Caroelli considerando, che la replica di Monsignor Corradini in ordine al Diploma ultimo di Ridolfo, ed a gli atti concernenti la spedizione del medesimo, è divisa in otto Capi, col medesimo metodo egli ha data la sua ultima risposta colle riflessioni, che ha stimate opportune per far costare l'insussistenza di quanto sopra questo punto fu addotto da detto Monsignor Corradini ne' due Congressi, ne' quali la rilevanza del detto diploma di Ridolfo è stata esaminata. All'incontro Monsignor Corradini stimando per altro che il detto Signor Reggente Caroelli in detta sua replica non porti cosa di rilevanza maggiore dell'addotte, alle quali disse di aver già soddisfatto, nulladimeno per far conoscere quanto sia insussistente la critica, che si fa al diploma chiarissimo di Ridolfo, nell'infrascritta maniera ha replicato in voce nel Congresso.

§. 2. Differenza d'autorità fra le Scritture estratte dagli Archivj della Santa Sede, e quelle estratte dagli Archivj di Modena.

Nel primo Articolo si è dal Signor Reggente Caroelli persistito in pretendere, non potersi dal canto del Signor Ambasciadore Cesareo riconoscere l'esistenza, e verità de' documenti portati per parte della Santa Sede, se insieme non si riconoscono le Investiture di Comacchio, che si suppone essere state date dagl' Imperadori alla Casa di Modena. Monsignor Corradini ha risposto, che l'Archivio del Signor Duca di Modena non è legale, nè prova contra la Santa Sede, come non proverebbero le Scritture indi estratte contra l'Impero, secondo l'opinione comune de' Dottori: e che tali Investiture possono esibirsi in Vienna per confrontarle co' Registri esistenti negli Archivi Imperiali: sicchè quando per l'appunto confrontino, possano avere quella fede, che ora non hanno, benchè poco o nulla rilievino. All' incontro essendo tutti i documenti della Santa Sede estratti dagli Archivi pubblici della Chiesa Romana, e mostrandosi pronti i Ministri Pontificj di fargli riconoscere tutti, e di stare all' incontro alla fede di quei documenti, che si troveranno negli Archivi

chivi Imperiali, pare, che la ripugnanza già esposta sia poco giusta, e piùttosto artificiosamente dilatoria, che veramente giuridica.

§. 3.

Si giustifica e si spiega la Procura della facoltà data da Ridolfo I. al Preposito di Spira di riconoscere i diplomi della Santa Sede.

Nel II. Articolo, nel quale si è esaminata la facoltà del Preposito Spirense, che fece riconoscere i diplomi di Ottone IV. e Federigo II. il detto Signor Reggente ha risposto, che il Mandato di Procura dato da Ridolfo a detto Preposito Spirense, era colla clausola *sine demembratione Imperii*: e che quando avesse avuta la facoltà di riconoscere i diplomi Imperiali, dovea detto Preposito far riconoscere tutte le donazioni, e non le sole di Ottone IV. e Federigo II. Monsignor Corradini ha replicato, che la clausola *sine demembratione Imperii* non operava cosa alcuna, perchè il Preposito Spirense fece l'atto nel modo, che l'avea fatto Federigo II. col consenso de' Principi dell'Impero: e così di già erano le Provincie contenute in quell' atto, e nelle donazioni precedenti da Lodovico Pio in poi, dismembrate dall' Impero: e la clausola suddetta si dovea intendere d'una nuova dismembrazione non mai più fatta, ma non già dell' approvazione di quella, che era stata fatta prima che fosse istituito da Leon III. l'Impero occidentale in persona di Carlo Magno: e che era stata approvata da tanti Imperadori, e ultimamente da Federigo II. Che bastava, che detto Preposito riconoscesse le donazioni de' due precedenti Imperadori a Ridolfo, mentre quegli nelle loro donazioni o restituzioni aveano protestato di fare ciò che fecero tutti gli altri loro predecessori. Disse ancora non sussistere la diversità fra il diploma di Ottone IV. e quello di Federigo II. perchè Ottone oltre alle Provincie espresse, aggiunse nel suo diploma le parole *cum aliis adjacentibus Terris expressis in multis Privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici*: e così incluse anche la Massa Trabaria espressa in quella di Federigo II. che era una Provincia aggiacente alla Pentapoli e alla Marca, già nominata nel privilegio di Ludovico Pio, e negli altri degl'Imperadori successori: e perciò *in substantialibus* il diploma di Ottone era in tutto uniforme a quello di Federigo II. Non ispecificò detto Preposito la Città di Comacchio, perchè questa Città non era espressa ne' diplomi d'Ottone IV. e di Federigo II. *ad normam* de' quali fece il Preposito l'atto; ma specificò *l'Esarcato di Ravenna*, che comprendeva Comacchio, nominato poi specialmente nell' ultimo diploma di Ridolfo I. Soggiunse, che simili questioni erano proposte *ad pompam*, perchè Ridolfo I. ratificò in Lausanna quanto avea fatto, detto, ed espresso il detto Preposito Spirense coll' inserzione di tutti gli atti fatti da esso

Prepo-

Prepoſito *de verbo ad verbum*, e così della ricognizione de' diplomi ſuddetti, e di quello del giuramento: e in ſomma di tutti gli atti: colla qual ratifica così piena, chiara, e non riſtretta, come però ſenza fondamento ſi dice, reſtò ſanato ogni defetto, quando vi fuſſe ſtato: e reſtò confeſſato, che il detto Prepoſito tutto avea operato con facoltà legittima, e in ſequela del mandato: e per far ciò comprendere, Ridolfo ſteſſo volle riconoſcere, e legalizzare il diploma del conſenſo de' Principi dell'Impero fatto all'altro di Federigo II. il che non moſtra, come ſi pretende, che la ricognizione del medeſimo diploma fatta dal Prepoſito Spirenſe foſſe inefficace; ma prova, che Ridolfo I. era così ſoddisſatto della verità paleſe allora a tutto il mondo, che volle egli ſteſſo manifeſtarla.

§. 4. Si difende il conſenſo de' Principi ed Elettori dell' Impero ſopra i diplomi Ceſarei dati alla Santa Sede.

Ha replicato ancora, eſſere arrivata aſſai nuova la propoſizione fatta da detto Signor Reggente, il quale aſſeriſce, che il conſenſo de' Principi dell'Impero ſopra il diploma di Federigo II. eſſendo dato *in genere* agli atti fatti da Federigo, dee intenderſi approvativo degli atti fatti dal medeſimo, tanto a favore, che contra la Chieſa Romana, quando era ſciſmatico. Da ciò può raccoglierſi come ſi difenda una cauſa così ſtrepitoſa: e pure baſta leggere il diploma del conſenſo di detti Principi, che non approvano, come ſi aſſeriſce, gli atti *in genere* di Federigo; ma in iſpecie tutti i privilegj, e i diplomi da Federigo dati a favore ſolamente della Chieſa Romana. Aſſai più ſtrano è ſtato il ſentire, che s'impugni come nullo il detto conſenſo de' Principi dell'Impero a' diplomi di Federigo II. dopo cinquecento anni, e quando Federigo nulla fece più de' ſuoi Predeceſſori. Con queſte repliche reſta anche ſoddisfatto a quanto ſi è addotto ſopra il III. Articolo.

§. 5. Legalità del diploma di Ridolfo I.

Nel IV. Articolo, che concerne la legalità del diploma di Ridolfo I. tralaſciando di riſpondere alle coſe già ſopite nel Congreſſo precedente ſopra la differente lettura tra il Bzovio, e il Baronio, ſi è riſpoſto da Monſignor Corradini, che la diverſità tra i due diplomi di Ridolfo portati dal Signor Zacagna pag. 97. e ſeg. è manifeſta ed appariſce dalla lettura: e perciò non è da maravigliarſi, che uno ſia concepito con una formola, e l'altro, che è *per viam edictalis Conſtitutionis*, nell'altra: e ciò non porta ſoſpetto alcuno: e ſe il Signor Ambaſciadore vuol vedere l'originale del diploma portato alla pag. *96*. ſiamo pronti a ciò fare: e non ſi è fatto prima, perchè ora ſolamente ſi ſente queſta propoſizione.

§. 6.
Consenso degli Elettori cade sopra gli ultimi due diplomi di Ridolfo I.

Equivoca il Signor Caroelli credendo, che il consenso degli Elettori cada solamente sopra il diploma di ratifica fatta da Ridolfo degli atti, che esso, e i suoi Procuratori aveano fatto nel Concilio di Lione, e in Lausanna, mentre cade sopra amendue diplomi, e sopra quello, nel quale si dice, che COMACCHIO spetta *pleno jure* alla Chiesa Romana, essendo nel consenso nominate tutte le Città dell' Esarcato, e COMACCHIO ancora, come appunto sono espresse nel diploma di Ridolfo. Disse ancora, che non v'era bisogno, che s'esprimesse nel detto diploma, che l'atto si facea *de consensu Principum Imperii*, dovendo bastare, che il consenso v'intervenisse: e se Federigo II. nel suo diploma I. lo nominò, non perciò risulta, che il medesimo debba farsi indispensabilmente: e basta leggere il diploma III. e IV. del medesimo Federigo ad Onorio III. addotti dal Signor Zacagna pag. 17. e 18. ne' quali Federigo mutò la formola, e disse *præsentibus subscriptis Principibus Imperii & Nobilibus*: e pure tra i sottoscritti si leggono due Elettori solamente: sicchè si riconosce sempre più l'insussistenza dell' obbiezione.

§. 7.
Testimonianze per l'esistenza de' diplomi di Ridolfo I. dati alla Santa Sede.

L'Aventino addotto nel Congresso degl' 11. di Settembre attesta, che in tempo suo i diplomi di Ridolfo I. vi erano: che esso gli avea letti: che contenevano molte Città, e Provincie: e che quelli che gli voleano leggere, lo potevano fare. Sicchè: detti diplomi erano in Germania, e allora erano veri, benchè oggi *ad opportunitatem causæ* si controvertano contra ogni dovere. Il Lambecio afferma, che ne' registri de' diplomi di Ridolfo I. ritrovati, e riposti nella Biblioteca Cesarea di Vienna, vi sia il diploma del consenso de' Principi dell' Impero dato all' ultimo di Ridolfo: il qual diploma si registra ancora *per extensum* dal Goldasto. Sicchè disponendosi in detto diploma d'assenso, che Ridolfo I. avea ne' suoi diplomi confermate alla Chiesa Romana molte Città e Provincie ivi nominate, tra le quali è descritto COMACCHIO, ognuno conosce, che il diploma di Ridolfo da noi mostrato in forma autentica, nel quale sono registrate le medesime Provincie e Città espresse nel consenso de' Principi dell' Impero, è verissimo, e legalissimo.

§. 8.
Diplomi di Ridolfo I. non discrepanti da quello degli Elettori dell'Impero.

Replicò ancora non esser vero, che sieno discrepanti i diplomi di Ridolfo da quello degli Elettori dell' Impero per le molte Provincie aggiunte nel diploma degli Elettori non nominate nel diploma di Ridolfo. Perchè due sono i Diplomi di Ridolfo, come si è detto, uno, nel quale Ridolfo ratificò quanto aveano fatto i suoi Ambasciadori, ed esso medesimo nel Concilio di Lione, in Lausanna, e in Roma: e in questi atti ratificati vi è

vi è specificata la Massa Trabaria, Corsica, e Sardegna, come nel libro del Signor Zacagna pag. 32. 33. e 34. Nell' altro diploma son nominate tutte le Città dell' Esarcato e Pentapoli, e Comacchio ancora: e così il diploma del consenso degli Elettori dato a tutti gli atti fatti da Ridolfo, contiene appunto lo stesso, cioè le specificazioni delle Provincie in genere, e di tutte le Città dell' Esarcato e Pentapoli: ed è uniforme in tutto e per tutto a' detti due diplomi di Ridolfo I. Alle altre cose, che si ripetono, è stato già risposto nell' altro Congresso degli 11. di Settembre, e provato che gli Elettori sottoscrissero *seorsim*, e in diversi luoghi e giorni.

§. 9. Comacchio non specificato per suggestione ed errore nel diploma di Ridolfo I. ma per manifestare la verità conosciuta.

Nel V. Articolo, nel quale s'inculca di nuovo dal Signor Reggente, che Comacchio solo è stato specificato nel diploma di Ridolfo I. per suggestione fattagli da Niccolò III. erroneamente e surrettiziamente, si rispose da detto Monsignor Corradini esser già stato appieno soddisfatto a dette speciose obbiezioni nel detto Congresso degli 11. di Settembre. Di più ha soggiunto, che l'errore dee provarsi concludentemente, e togliendo ogni possibilità in contrario. Ma che? Non solo non si prova, ma si prova la verità, mentre ammettendosi, che Ridolfo volle mantenere alla Chiesa tutto ciò, che aveano fatto Ottone IV. e Federigo II. e gli altri suoi antecessori, che aveano restituito e donato l'Esarcato di Ravenna e Pentapoli, bisognerebbe provare con prove manifestissime, che le Città specificate da Ridolfo, tra le quali è Comacchio, mai non fussero state dell'Esarcato suddetto: e pure ciò non si prova; anzi si prova il contrario col detto di Anastasio, di molti Storici, e con la dichiarazione di Lodovico Pio, di Ottone Magno, e di Enrico II. ne' diplomi de' quali è dichiarato specialmente, che l'Esarcato intero di Ravenna donato alla Santa Sede contenea tutte le Città nominatevi da Ridolfo, e specialmente Comacchio. E se i diplomi antichissimi Imperiali di questa sorte non bastano per togliere ogni ombra d'errore; non si sà che cosa sia sufficiente in questo Mondo per assicurare e manifestare la verità. Bastava, che in tutti i diplomi degli antecessori, e negli atti fatti da Ridolfo I. precedentemente fosse incluso l'Esarcato, come in fatti lo era, perchè potesse Ridolfo I. poi dichiarare, come aveano fatto Lodovico Pio, Ottone, ed Enrico, le Città, che apparteneano a detto Esarcato. Da ciò apparisce la verità esposta da Niccolò III. a Ridolfo, e non un supposto erroneo. Ed è vero, che Fra Corrado Ablegato Cesareo riconobbe gli originali de' diplomi d'Ottone, e d'Enrico, i quali si rapportano anche dal Goldasto: che potè informare in molti mesi di trattato

 Ridol-

Ridolfo della verità con lettere o con ispedirgli altri suoi confidenti; onde poco rileva, che Fra Corrado non ritornasse in Germania, il che però non sussiste. E il dire, che Ridolfo senza sentire il suo Ablegato e la verità del fatto, desse i noti diplomi, è così inverisimile ed improbabile, che non dovrebbe mai ciò asserirsi da' Ministri Cesarei, i quali in questa maniera vogliono far credere, che Ridolfo inclito Autore della grandezza Cesarea della Casa Augustissima, a chius' occhi facesse atti di questa sorte.

§. 10.

Ridolfo I. fu istruito di tutte le ragioni della Santa Sede prima di dare i suoi diplomi.

E' vero, che il trattato durò otto mesi, mentre non bisogna, come si fa, allegare l'ultime lettere di Niccolò III. ma le prime, che sono de' 5. di Giugno, come alla pag. 45. Il mese e l'anno del consenso de' Principi dell'Impero si deduce evidentemente dalla data, perchè l'anno è specificato, e l'Indizione *settima*, e l'anno *sesto* dell'Impero di Ridolfo ivi notate secondo la computazione comune, indicano il mese di Ottobre dell'anno 1279. Che poi Ridolfo non potesse essere instruito delle ragioni, che l'Impero avea sopra Comacchio, è un'indovinare, perchè ciò non è noto ad alcuno e poco rilieva; perche quando, come è evidente, Comacchio era incluso sotto l'Esarcato di Ravenna, riconosciuto da tutti gl'Imperadori per appartenente alla sola Chiesa Romana, come vi erano incluse tutte l'altre Città specificate nel diploma del medesimo Ridolfo nel detto Esarcato o nella Pentapoli: e ciò appariva da tre diplomi Imperiali di Lodovico Pio, Ottone Magno ed Enrico II. i quali donando l'Esarcato, aveano specificato tutte le medesime Città e Comacchio, come appartenenti all'Esarcato coll'addizione *hoc est*: e che in quei tempi era notissimo, che gli atti di giurisdizione essercitati dagl'Imperadori molte volte in quelle medesime Città, erano stati fatti in tempo di scisma e d'ostilità contra la Sede Apostolica, ognuno era capace a concepire, che le ragioni della Chiesa in dette Città erano evidenti, e che perciò la giustizia obbligava a dichiararne la verità: e per questa cagione Ridolfo fece prima ritrattare i giuramenti di fedeltà, e premise tutte l'altre cose, che si sono dette in tutti i Congressi.

§. 11.

I Ministri di Ridolfo I. ebbero facoltà di riconoscere gli originali de' diplomi, che egli confermò alla Santa Sede.

Si disse dal detto Signor Reggente, che ne' sunti de' diplomi trasmessi da Niccolò III. a Ridolfo I. non vi fusse l'intiero tenore de' diplomi di Lodovico Pio, di Ottone Magno, ed Enrico II. Si rispose da Monsignor Corradini ciò esser vero; ma che a Fra Corrado Ablegato Cesareo fu data la libera facoltà di vedere negli Archivj Apostolici tutti gli originali di detti diplomi, e che detto Ablegato gli riconobbe. E perchè la questione di quei tempi non era sopra l'immaginate riserve, le quali in verità non vi

vi erano, come si può vedere dal diploma di Enrico rapportato dal Goldasto, confermatorio di quello di Lodovico Pio e di Ottone il Magno; ma sopra il cercare quali fussero le Città appartenenti all'Esarcato e alla Pentapoli, perchè Ridolfo I. facesse ritrattare i giuramenti di fedeltà prestati da dette Città al suo Cancelliere, e dichiarasse, per togliere in avvenire tutte l'oscurità, quali erano le Città comprese nell'Esarcato e nella Pentapoli; perciò furono solamente trasmessi i sunti de' diplomi de'suddetti Imperadori, ne' quali erano specificate tutte le Città: e furono i medesimi fatti riconoscere all'Ablegato Cesareo.

§. 12. Diploma di Ridolfo I. ingiustamente a'giorni nostri accusato di surrettizio.

Si ritorna dopo cinquecento anni a dare *de obreptione* al diploma di Ridolfo: cosa veramente non più sentita, cioè, che un diploma Imperiale osservato per lo spazio di cinque secoli, e ratificato dagl'Imperadori, che succedettero: conceduto dopo un trattato di nove mesi, applaudito da' Principi dell'Impero, dato alla Chiesa Romana in sequela di tanti atti fatti da Lodovico Pio, da Ottone il Magno, e da Enrico il Santo, e ad istanza d'un Papa: e dopo superate tante difficoltà allora eccitate anche da' Principi dell'Imperio, che differirono di consentire; s'impugni come erroneo, surrettizio ed estorto *ad suggestionem* d'un Romano Pontefice; il che se si permettesse tra Re e Re, Imperadori e Supremi, potrebbero in questa maniera impugnarsi come surrettizj tutti i patti di confederazione, pace, dimissioni di Città e simili: cosa che rivolterebbe tutto il Mondo sossopra. Le decisioni, che si adducono parlano de'rescritti dati a'privati con supposto falso ed ingannato il Principe con tacere ciò, che l'avrebbe rimosso dalla grazia; ma non già d'un diploma edittale di un Imperadore a favore della Chiesa di Dio, ove non può supporsi inganno e supposto falso; anzi si mostra essere stato dal Papa ricercato quello, che si era fatto da tanti Imperadori.

§. 13. Ripetizioni inutili per impugnare il diploma di Ridolfo I.

Non si sa a che giovi riferire tutti gli atti della rivocazione de' giuramenti prestati al Cancelliere di Ridolfo, quando esso Ridolfo nel suo diploma specificò tutte le Città: disse, che il giuramento era prestato *per errorem*, lo rivocò, e dichiarò, che era stato dato da molte altre Città in quelle parti spettanti alla Chiesa Romana: e subito dichiarò quali erano le Città medesime, specificando Comacchio. E poco importa, che non fusse nelle lettere scritte da Niccolò III. specificato Comacchio, quando, come si è detto, nel Congresso del dì 11. Settembre mancano le lettere dirette ad altre Città, che aveano nominatamente giurato: e Ridolfo poi le specificò tutte: e voler discorrere in una cosa così antica con le conghietture contra l'esistenza d'un diploma let-

letterale, è ùn ricercare il principio di coſe già terminate quaſi cinque ſecoli già ſcorſi. Le lettere ſcritte dal Prepoſito Solienſe rivocatorie del giuramento di fedeltà preſtato al Cancelliere di Ridolfo I. comprendono oltre alle Città ivi nominate, altre Città, Caſtella e Terre di quelle parti, e vicine alle ſpecificate: e così anche COMACCHIO e Ferrara, non nominate in dette lettere, ma compreſe ſotto la generalità ſuddetta, e poi ſpecificate nel diploma di Ridolfo.

§. 14.
Legato Apoſtolico ripreſo dal Pontefice per aver laſciato preſtare giuramento da varie Città al Cancellier di Ridolfo I.

Si è di nuovo inculcato dal detto Signor Reggente, che il giuramento preſtato dalle Città dell' Eſarcato e Pentapoli al Cancelliere di Ridolfo, fuſſe dato col conſenſo del Legato Pontificio. Fu a ciò riſpoſto dal detto Monſignor Corradini nel detto Congreſſo degli 11. di Settembre, e provato, che il Papa ripreſe il detto Legato ſeveramente: e che Ridolfo rivocò detto giuramento come erroneo e contrario agli atti giurati da eſſo, fatti in Lauſanna e nel Concilio di Lione; onde non ſi sa capire, perchè ſi eſageri tanto contra un conſenſo annullato dal Papa e dichiarato erroneo dall'iſteſſo Imperadore.

§. 15.
Giuramento dato al Cancellier di Ridolfo I. ingiuſto, e come tale annullato dal Papa, e dall'Imperadore.

Si pretende di provare, che detto giuramento era ben preſtato: e ſi adduce Anaſtaſio, che nella vita di Stefano Papa atteſta, che Stefano ſteſſo faceſſe giurare fedeltà da' Romani a Lodovico Pio. Si è riſpoſto, che in tutti i Congreſſi, e che ne' libri del Signor Abate Fontanini e Zacagna ſi è con chiarezza giuſtificato, che detto giuramento risguardava ſolamente il mero jus dell'Avvocazia della Santa Romana Chieſa data da'Papi a Carlo Magno e a'ſucceſſori: e che nulla giova ora pretendere, che il giuramento dato dalle Città ſuddette al Cancelliere di Ridolfo fuſſe validamente preſtato, quando dopo un trattato di più anni fatto ne' Pontificati di Gregorio X. Innocenzo V. Giovanni XXI. e Niccolò III. Ridolfo ritrattò detto giuramento più volte, e poi con un diploma ſolenne Imperiale, come erroneo, nullo e di niun momento.

§. 16.
Ritrattazione giuſta del giuramento preſtato al Cancellier di Ridolfo I.

Non oſtante che Ridolfo diceſſe, che *nullum jus Imperatori accreſceret, vel Eccleſiæ deperiret tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem*, mentre queſta clauſola è quella che prova, che Ridolfo col ritrattare i giuramenti preſtati al ſuo Cancelliere, come erronei, col permettere, che le medeſime Città giuraſſero la fedeltà al Papa, e col dichiarare poi nel ſuo diploma, che tutte ſpettavano *pleno jure* alla Santa Sede, riconobbe, che tutte le ſuddette Città appartenevano *tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem* alla Santa Sede; or dopo cinquecento anni ſi pretende di ſaperne più di quello ne ſapeano Ridolfo e gli Elettori del-

dell'Impero allora, e di volere con conghietture, atti d'usurpazioni e fatti duranti l'ostilità contra la Chiesa, enunciative incerte e cose simili inefficaci, fare apparire, che non è vero, che dette Città e Comacchio con esse, appartenessero alla Sede Apostolica.

§. 17. Ridolfo I. ingiustamente accusato di essersi lasciato ingannare da narrazioni false in tanti negoziati.

Si dice, che se Ridolfo avesse saputo, che Lodovico Pio non aveva se non confermato alla Chiesa quelle Città donate da Pippino e Carlo Magno, tra le quali non era Comacchio; se avesse saputo, che Lodovico Pio si avesse riservato l'alto dominio col ritenere *jura Principatus atque ditionis*; che il diploma di Ottone Magno era concepito colle stesse clausole e riserve apposte in quello di Lodovico, come anche quello di Enrico II. e che gl'Imperadori aveano sempre ritenuto Comacchio nel loro dominio; non avrebbe nel diploma espresso Comacchio, e dichiarato, che *pleno jure* spettava alla Chiesa Romana: dal che si asserisce essere il detto diploma surrettizio per lo silenzio di quelle cose, che avrebbero ritratto l'Imperadore, o l'avrebbero reso più difficile, o meno facile a concedere. E per prova, che Comacchio non fosse compreso nella donazione di Pippino, si adducono le solite sottigliezze ed interpretazioni delle parole d'Anastasio, alle quali è stato soddisfatto in molti Congressi. Si è risposto da Monsignor Corradini, che Anastasio letteralmente racconta, che Comacchio fu restituito alla Chiesa e compreso nella donazione di Pippino, e che sia una Città compresa sotto l'Esarcato, come si è provato negli altri Congressi precedenti. Di più, che Lodovico Pio stesso confermando la donazione di Pippino specifica espressamente Comacchio: il che fa vedere, ch'era compreso nella donazione di Pippino: e che Ottone Magno, ed Enrico II. il cui diploma si rapporta dal Goldasto, come trovato ne' registri Imperiali, confermano le donazioni di Carlo Magno, Lodovico Pio, e degli altri Imperadori, e nominano Comacchio, come Città donata alla Chiesa, e compresa nell'Esarcato: sicchè non potea rendersi più difficile Ridolfo per una cosa inventata di nuovo, e che non fu, nè è vera.

§. 18. Lodovico Pio non si riserbò alcun' alto dominio su gli Stati della Santa Sede.

Ne meno è vero, che Lodovico Pio si riservasse l'alto dominio, e le ragioni del Principato, mentre nel suo diploma registrato appresso Cencio Camerario, che fu Onorio III. in un libro scritto cinquecento e più anni già scorsi, non si legge tal riserva: e tale è la verità, perchè nel diploma d'Enrico II. riferito come si è detto dal Goldasto, ove si conferma il diploma di Lodovico Pio, si leggon ben le parole, che le Città, e Provincie donate *permaneant in Principatu, & ditione vestra*, cioè de' Pontefici, e non mai *nostra*, cioè degl'Imperadori, come poi sempre ha dimostrato l'os-

l'osservanza. Sicchè questo supposto, che non è vero, non poteva ritrarre Ridolfo, o renderlo più difficile a concedere. Ne meno sussiste, che gl'Imperadori avessero sempre ritenuto COMACCHIO nel lor dominio, come si è provato ne' Congressi precedenti.

§. 19. Diploma di Ridolfo fondato in tutto e per tutto nella verità.

E come mai può darsi *de obreptione* contra un diploma di Ridolfo appoggiato alle donazioni antiche degl'Imperadori, e anche a quelle de' suoi Predecessori, nelle quali sempre fu compreso l'Esarcato, e così COMACCHIO, che secondo le donazioni di Lodovico Pio, Ottone, ed Enrico, vien giudicato una Città dell' Esarcato, e donata, come anche da Anastasio scrittore coetaneo di Carlo Magno? E come può dirsi surrettizio un diploma diretto al Principe degli Apostoli S. Pietro, e di donazione fatta alla sua Chiesa dopo un trattato di più mesi, tenuto tra il Papa e l'Imperadore? Non vi è Dottore, che mai abbia detto, che trà Principi Supremi i contratti e i diplomi dati dall' Imperadore al Papa, e dal Papa all' Imperadore possano dirsi surrettizj, e specialmente abbattersi con sottigliezze e ragioni inventate di nuovo, e che allora non erano ne meno sognate, e particolarmente dopo cinquecento anni. Se ciò fosse, qual pace, qual patto, qual cessione di Provincie, qual confederazione, e qual dichiarazione Imperiale o Papale potrebbe rendersi più stabile? E chi potrebbe più fidarsi di qualsisia atto più solenne Imperiale, o Papale, se potesse poi dopo molti secoli dirsi, che se la tale o tal ragione fosse stata riconosciuta, o intesa dall' Imperadore o dal Papa, non si sarebbe fatta la tal pace, la tal confederazione, il tal patto, o la tal cessione o concessione? Così tutti i Regni, e i dominj resterebbero sempre incerti, tanto più che nel diploma di Ridolfo non si accenna mai, che egli si movesse per le preghiere del Papa; ma tutto si dice, e si fa per moto proprio, per dichiarare la verità, per corrispondere alla gratitudine dovuta alla Chiesa Romana, e per seguitare l'orme de' suoi Antecessori: e le lettere di Niccolò III. scritte a Ridolfo perchè dichiarasse una verità così palmare, servirono per trattato, e per far conoscere al medesimo la verità, come tra Principi Supremi si fa tutto giorno.

§. 20. Originali de' primi diplomi dati alla Chiesa, indebitamente richiesti, e notorj a tutto il Mondo.

Astretto da tante ragioni il Sig. Regg. Caroelli replicò, che non si mostravano gli originali di Lodovico Pio, Ottone il Magno, ed Enrico II. al che fu risposto essersi negli altri Congressi sufficientemente soddisfatto a detto obbietto: e che gli originali de' diplomi di mille ò ottocent' anni non solo non potevano conservarsi dalla Chiesa Romana dopo tanti sacchi di Roma, tante persecuzioni de' Pontefici Romani, tante guerre, e l'assen-

za

za de' Papi da Roma per lo spazio di settanta e più anni; ma che appena in tutto il Mondo potrà darsi il caso, che si possano esibire se non pochissimi originali di nove o dieci secoli. Di più, che basta il diploma di Enrico II. registrato dal Goldasto, e che in tempo di Ridolfo furono mostrati gli originali del diploma di Ottone, e di Enrico a Fra Corrado, e che in tal guisa allora fu chiarita una tal verità.

§. 21. Il Pontefice non è obbligato a mostrare i titoli de' suoi dominj.

Fu risposto ancora negli altri Congressi, che il Papa non era obbligato a mostrare il titolo. Si è replicato ora al Signor Reggente col Parezza ed altri Dottori, che discorrono degli inferiori e non del Papa: e pure si è esibito il diploma di Ridolfo, ed il Signor Reggente pretende, che si abbiano da esibire i diplomi di Lodovico Pio, Ottone, ed Enrico: il che non ha detto mai alcun Dottore, bastando di esibire il titolo sufficiente: ed il pretendere, che si esibiscano gli originali di novecento e di mill' anni, è cosa non mai più sentita.

§. 22. La Chiesa Romana non è obbligata a provare, che possedesse Comacchio in tempo di Lodovico Pio.

Si pretende di più, che per le parole *sicut a Prædecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis & disposuistis* apposte nel diploma di Lodovico Pio, debba provarsi, che di quel tempo la Chiesa possedeva Comacchio. Replicò Monsignor Corradini, che si vogliono ridurre tutte le prove all' impossibile, mentre niun Principe di questo Mondo può provare, che possedesse novecento anni fa. E pure la Chiesa Romana prova coll' attestato di Anastasio, che in tempo di Pippino e di Carlo Magno Predecessori di Lodovico Pio possedeva Comacchio, che le fu restituito da Pippino nominatamente, e poi ripreso da Desiderio Rè de' Longobardi, fu parimente restituito da Carlo Magno. Lo prova ancora colle lettere de' Pontefici di quei tempi, e colle donazioni degl' Imperadori, e dalle medesime parole soprannotate, le quali non sono condizionali, come si suppone, ma suppositive, e suppongono, che tutte le Città espresse nel detto diploma fussero di quel tempo sotto la podestà, e dizione de' Sommi Pontefici.

§. 23. Diploma di Ridolfo I. e atto di confessione e di ricognizione della verità.

Oltre che nel diploma di Ridolfo non si leggono mai le dette parole: e detto diploma è puro, edittale, dichiarativo della verità, e per via di confessione e ricognizione di verità, di moto proprio, senza espressione che fusse fatto ad istanza d'alcuno: che vuol dire, che si tratta d'un diploma de' più solenni, e privilegiati, che mai possano uscire dalle mani Imperiali. E perciò non si sa con qual fondamento si chiami questa una conferma fatta *in forma communi & ad petitionem partis*. Le altre cose, che furono dette dal Signor Reggente Caroelli, come ap-

poggiate a sottigliezze, equivoci, varie e insussistenti, anzi negli altri Congressi precedenti affatto rese inefficaci, non furono avute in considerazione da detto Monsignor Corradini.

§. 24.

Dee prima restituirsi alla Santa Sede il possesso di Comacchio toltole a forza d'armi, e poi discorrersi de' titoli.

Nell' VIII. Articolo si propose da detto Monsignor Corradini ne' Congressi passati, che essendo stata spogliata la Sede Apostolica della Città di Comacchio a forza d'armi da Sua Maestà Cesarea, dappoichè l'avea posseduta per lo spazio di cento anni, doveva restituirsele secondo le leggi feudali il possesso: nè potea ritardarsele coll' eccezione, che mostrasse il titolo, potendo replicare coll' opinione dello Scradero, e con la comune de' Feudisti, che prima se le restituisca il possesso, e dopo si riconoscerà, se abbia il titolo. Ha risposto il Signor Reggente, che il concordato del dì 15. di Gennajo dell' anno passato osta a quest' istanza, mentre in quello si dice, che la controversia di Comacchio si discuterà in un Congresso amichevole per appagamento comune, e che intanto Sua Santità tolererà, che l'Imperadore ritenga Comacchio. Ha replicato Monsignor Corradini, che nel detto concordato vi è aggiunta la protesta di Sua Santità, colla quale si dichiarò, che per detta toleranza non intendea pregiudicarsi, tanto rispetto al possesso, che alla proprietà. E che detto patto non è renunciativo del privilegio del possesso, e della purgazione dello spoglio, che dee purgarsi anche da' Principi supremi, come prova lo Scradero, trattandosi anche di Città, e Castella, mentre altro è, che finchè durano i Congressi il Papa toleri per non poter ricuperare il suo coll' armi, o non dover impugnare la Spada contra un figlio sì grande, e Avvocato della Chiesa; altro è, che in detti Congressi non debba riconoscersi il merito di questo spoglio, come onninamente dee farsi, e appagarsi ognuno, perchè la giustizia in primo luogo richiede, che si purghi lo spoglio, si restituisca il possesso alla Chiesa Romana spogliata con forza armata, e poi si discutano i titoli.

Ita est J. Card. Gozzadinus.

DISCUS-

DISCUSSIO I.

Super Articulo II. qui respicit possessionem COMACLI penes Apostolicam Sedem ante Constitutiones Rudolphi I.

SYNOPSIS.

Probatur negari non posse Apostolicam Sedem justis titulis possedisse COMACLUM *ab anno* 755. *usque ad annum* 1279.

§. 1. Conventus diei 27. Augusti 1710.

IN Conventu habito sub die 27. Augusti Reverendissimus D. Archiepiscopus Corradinus in hunc modum probari affirmavit tam ante, quam post diploma Rudolphi I. Sedem Apostolicam COMACLUM possedisse: quæ quidem protestatus est citra necessitatem & supervacanee se ostendere, cum ad jura Sedis Apostolicæ in COMACLUM vindicanda, solum Rudolphi diploma satis superque sufficiat ex relatis in Conventibus præcedenter habitis.

§. 2. Omnium Gentium Historici, fama, & acta publica testantur ad Sedem Apostolicam pertinuisse COMACLUM ante diploma Rudolphi I. & quidem ab anno 755.

Supponendum esse (ait dictus Archiepiscopus) in hac re antiquissima sufficere Historicorum priscorum testimonia, enunciationes, actus Dominicales gestos a Romanis Præsulibus, eorumque Ministris; opinionem populorum; juramenta fidelitatis, investituras & concessiones aliis a Sede Apostolica factas, & similia: ex quibus in jure educitur possessio & jurisdictionis exercitium; ita namque uno ore affirmant Doctores & juris regulæ docent. His positis (itidem ait dictus D. Archiepiscopus) nunc referre juvat vetustissimos actus, ex quibus possessio COMACLI ante diploma Rudolphi probatur. Anno 755. Pippinus coëgit Aistulphum Langobardorum Regem ad restituendas Ecclesiæ Romanæ Provincias & Civitates, quas illi ademerat: inter quas enumeratur COMACLUM, cujus Cives Fulrado Abbati, nomine Stephani III. Papæ recipienti, claves tradiderunt & juramentum fidelitatis præstiterunt. Hujus rei meminit Bibliothecarius in Stephani III. vita, qui illis temporibus proximus, jam ante annos nongentos scripsit. Nemo sane ausus est hujus viri testimonium falsitatis accusare, a quo gesta Romanorum Pontificum pendent, ejusque fides tanti est, ut Germani omnes, Galli, Hispani, & universi gregis Dominici populi quæ prisci Romanæ Ecclesiæ Præsules gesserint, quæ edixerint pro Ecclesiæ felicitate: quæ etiam bella, quæ fœdera, quæ tandem pacta

firmaverint, ab hoc uno teste didicerint. Idipsum Scriptores Galli probarunt, qui Exarchatum & Pentapolim Pippinum e manibus Aistulphi vindicasse atque Romanæ Ecclesiæ restituisse, memoriæ prodiderunt.

§. 3. Sedes Apostolica possidebat COMACLUM anno 774.

Has Civitates, inter quas COMACLUM, Stephanum III. nomine Sedis Apostolicæ gubernandas dedisse Sergio Archiepiscopo Ravennati refertur in epistola Adriani I. ad Carolum Magnum data anno 774. ut patet ex Codice Carolino epist. 54. in qua Pontifex queritur de temeritate Sergii dominium Sedis Apostolicæ excutientis. Desiderius Langobardorum Rex abstulit *Faventiam, & Ducatum Ferrariæ seu* COMACLUM *de Exarchatu Ravennate*. Hinc Adrianus Papa Carolum Magnum in Italiam advocavit, vt hæ Civitates Romanæ Ecclesiæ restituerentur, teste eodem Bibliothecario in Adriani vita, qui subdit omnes eas Urbes redditas Adriano, & Desiderium a Carolo Magno captum.

§. 4. Sedes Apostolica possidebat COMACLUM anno 775.

Vix Italia Carolus Magnus discesserat, cum Leo Archiepiscopus Ravennas, cui Exarchatus nomine Pontificio regendus ab Adriano de more commissus fuerat, dominium plurium Civitatum & COMACLI sibi arrogare præsumpsit, asserens eas sibi a Carolo Magno concessas. Hic Judices & Ministros, quos Adrianus ordinaverat in iisdem Urbibus ad justitiam reddendam, ejecit, quemadmodum in epistola Adriani Carolo Magno scripta, relata in Codice Carolino epist. 54. legitur, ubi Papa hæc subdit: *despecti esse videmur dum ea, quæ potestative temporibus Langobardorum detinentes ordinare ac disponere videbamur, nunc temporibus vestris a nostra potestate impii atque perversi auferre conantur*. Ergo usque ad ea tempora, & ad annum 775. Sedes Apostolica *potestative* eas Civitates (inter quas COMACLUM legitur) rexerat, gubernaverat, & detinuerat: quod & narratur in aliis ejusdem epistolis 51. & 52.

§. 5. Sedes Apostolica possidebat COMACLUM anno 817.

Post hæc Ludovicus Pius Imperator in eo diplomate, quod pactum confirmationis vocant, Paschali I. Papæ & Successoribus confirmat quæ Pippinus & Carolus Magnus restituerant, concesserantque, & sic omnes Civitates in eo diplomate descriptas, inter quas COMACLUM legitur. Ludovicus ibi fatetur & declarat eas Civitates fuisse sub dominio & potestate Sedis Apostolicæ his verbis: *sicuti a Prædecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis & disposuistis*: ex quibus constat Sedem Apostolicam Urbes ibi designatas usque ad ætatem Ludovici tenuisse, idest possedisse & disposuisse & sic dominium exercuisse in iisdem Civitatibus.

Audi-

Audivimus in Conventibus, qui huic præcesserunt, dictum Ludovici diploma in dubium vocari. At quæ suspicio inesse possit facto tam claro, vulgari, & solemni, mox videbimus. Eginardus in Annalibus, Astronomus quoque in Ludovici Pii vita, quos quidem eidem Imperatori æquales fuisse scimus, tradunt, Ludovicum id pactum confirmasse & expresse nominant *Theodorum* nomenclatorem, qui in eodem diplomate memoratur. En itaque testimonium vetustissimum duorum Historicorum, qui ea ætate vivebant. Auctor pervetustus Chronici Monasterii Sancti Vincentii ad Fontes Vulturni, Annales Bertiniani, Juo Carnotensis,& Gratianus id ipsum affirmant, necnon Leo Ostiensis, qui refert a quibus id diploma esset subscriptum, & a quo Paschali I. traditum. En itidem & testimonium Historicorum, qui ante octingentos annos scripserunt. Joannes VIII. in Concilio Romano, in quo anno 877. Carolum Calvum Imperatorem proclamavit, meminit coram Concilio universo meritorum Caroli, & patris nempe Ludovici, ejus liberalitatem & munificentiam erga Romanam Ecclesiam extollens:& epistola 119.& 216. datis ad eumdem Carolum Calvum & Ludovicum alterius Pii nepotem, hujuscemodi Ludovici pacti mentionem facit. Mirum sane fuisset, si Joannes Papa filio ac nepoti Ludovici Pii retulisset pactum initum inter Ecclesiam Romanam ac patrem & avum respective, præfatorum, quando id pactum supposititium fuisset. Joannes IX. in Concilio Ravennæ habito anno 898. in quo Imperium Lamberto Widonis filio collatum, confirmavit, eum ita alloquitur: *Ut privilegium S. Romanæ Ecclesiæ, quod primis temporibus per piissimos Imperatores constitutum est, a vobis firmetur*: & infra, *ut pactum quod a vestro genitore & a vobis, piissimis Imperatoribus ex antiqua consuetudine factum est, renovetur, & inviolabiliter servetur.* Ex his & infra referendis constat, negare Ludovicum confirmasse Paschali I. quæ pater ejus & avus restituerant, dederantque Ecclesiæ Romanæ, idem esse, ac negare solem splendescere.

§. 6. Diploma Ludovici Pii perperam falsitatis arguitur.

Firmata diplomatis Ludovici Pii veritate & auctoritate, videndum est, an quod & quantum in eo continetur, probatum fuerit. Cencius Camerarius qui postmodum Honorius III. Pontifex dictus est, ei Codici, quem, cum Camerarii S. Romanæ Ecclesiæ officio fungeretur ante quingentos annos conscripsit, integrum Ludovici Pii pactum inseruit, in quo & COMACLUM restitutum, datum, & confirmatum legitur Romanæ Ecclesiæ inter alias plurimas Exarchatus Civitates. Eundem Codicem vetustissimum & authenticum adhuc servatum in Archi-

§. 7. COMACLUM expressum in diplomate Ludovici Pii.

vo

vo Vaticano, cui tot annorum curriculo plenissima fides semper adhibita fuit, ob oculos Excellentiæ vestræ bona fide protulimus.

§. 8.

Diploma Ludovici Pii recognitum per Cæsares Successores, Otto IV. & Fridericus II. juramento confirmant.

Jam vero accedamus ad Imperatorum, Principumque Germanorum facta & confessiones. Otto IV. Innocentio III. juramentum præstitit, quo inter alia promisit servare Romanam Ecclesiam in quieta possessione Provinciarum, & Civitatum, quas habebat: *Ad has*, inquit, *pertinet tota Terra, quæ est a Radicophano usque Ceperanum, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Marchia, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Brictinorii, cum aliis adjacentibus Terris expressis in multis Privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici*. Ergo in diplomate Ludovici, & confirmationibus Successorum non solum expressæ & descriptæ erant Provinciæ in hoc juramento Ottonis descriptæ, sed & alia loca adjacentia. Id ipsum dicitur in diplomate & juramentis, quæ in manibus Innocentii III. & Honorii III. Fridericus II. præstitit, apud D. Zacagnam in Appendic. a pag. 9. ad 19. & presertim pag. 17. & 18. Hæc quidem juramenta & diplomata respondent Ludovici Pii pacto, quod integrum prostat in Codice Cencii Camerarii, ubi præter Provincias superius expressas, sunt & Civitates plures descriptæ, quæ erant in Exarchatu Ravennatensi, inter quas Comaclum.

§. 9.

Juramenta Ottonis IV. & Friderici II. super ditionibus Ecclesiæ & Comaclo, recognita in Concilio II. Lugdunensi.

Neque fas est eorum auctoritatem in dubium vocare; nam in Concilio Lugdunensi coram tredecim Archiepiscopis & Episcopis Germaniæ & duobus Proceribus itidem Germanis, ea diplomata & juramentorum instrumenta recognita fuerunt tanquam authentica cum suis Bullis aureis, & in Consistorio coram Gregorio X. recitata, adstante cetu Cardinalium & per Spirensem Præpositum Ablegatum Rudolphi Imperatoris & legitimo Procuratorio mandato suffultum jurejurando rata habita: exhibitum quoque diploma consensus præstiti a Principibus & Electoribus Imperii, illudque recognitum ab iisdem Archiepiscopis, Episcopis & Nobilibus, quemadmodum legitur in dicta Appendice a pag. 9. ad 28. Hæc omnia postmodum rata habuit Rudolphus ipse Lausannæ in Consistorio, quod ibidem habitum est ab eodem Gregorio X. ut in pag. 29.

§. 10.

Juramenta Ottonis IV. & Friderici II. recognita per Rudolphum I. Lausannæ.

Veniamus ad Rudolphum I. Hic Lausannæ in Consistorio, cui adfuerunt quamplures Archiepiscopi & Episcopi Germani, pluresque Principes Imperii & Proceres, iisdem verbis, quæ jurejurando expresserant Otto IV. & Fridericus II. juramentum in manibus Gregorii X. detulit designans Provincias Exarchatus & Pentapoleos, aliasque superius recensitas, necnon omnes alias Terras adjacentes *expressas in multis privilegiis Imperato-*

rum

rum a tempore Ludovici ex relatis in dicta Appendice pag. 31. ad 36. ubi id juramentum bis datum legitur & in duobus Consistoriis. En itaque probatum ex tot juramentis & diplomatibus Ottonis IV. Friderici II. & Rudolphi I. & quidem præstitis & respective datis post rem solemniter cognitam, Ludovicum Pium per privilegium & pactum restituisse, dedisse & donasse Ecclesiæ Romanæ non solum Provincias & ditiones in iisdem juramentis & diplomatibus Friderici, Ottonis & Rudolphi designatas, sed & alias Terras adjacentes expressas in eodem Ludovici, & in aliis multorum Imperatorum diplomatibus: quæ quidem loca esse alia non possunt, nisi ea, quæ in Codice prędicto Cencii Camerarii expressa reperiuntur. Sed ut evidentius id ipsum appareat, liceat repetere ea, quæ dicta sunt in ultimo Conventu de hac re habito. Ibidem adduxi epistolam Nicolai III. ad Rudolphum datam, in qua rogat Rudolphum pro editione Bullæ aureæ, & petit in ea describi non solum Provincias; sed & Urbes Exarchatus & illarum partium, ne contingeret futuris temporibus ex generalitate induci errorem, qui in mentem Cancellarii Imperialis irrepserat. Is enim putaverat eas Urbes ad Exarchatum vel Pentapolim non pertinere. Nicolaus describit inter eas Urbes COMACLUM, & ad Rudolphum transmittit exemplar diplomatum trium Imperatorum, in quibus eæ Urbes & COMACLUM, expressæ leguntur, idest Ludovici Pii, Ottonis Magni, & Henrici II. Addit se dedisse potestatem Fratri Conrado Nuncio Rudolphi aliqua originalia eorum diplomatum inspiciendi in Archivis Romanæ Ecclesiæ, in quibus ea religiosè servabantur. Idem affirmat in alia epistola data ad Electores Imperii, uti refertur in Appendice pag. 50. 51. & 93. Rudolphus audita relatione sui Nuncii, viso quoque dictorum privilegiorum Ludovici, Ottonis & Henrici apographo, vulgavit Bullam auream, in qua recognovit Ludovici Pii pactum, & expressit Provincias in eo & aliis prædecessorum suorum paginis designatas, inter quas leguntur Exarchatus & Pentapolis, & declaravit præterea Civitates ibidem descriptas, inter quas COMACLUM, ad Sedem Apostolicam pleno jure pertinere: idque se fecisse dixit ad tollendam quamcumque obscuritatem: nam plures ejus prædecessores expresserant quidem in juramentis & privilegiis Exarchatum & Pentapolim, at non singulas earum Provinciarum Civitates; unde factum est, Rudolphum & novem Electores Imperii, qui id ipsum fecerunt, tunc recognovisse in privilegiis & paginis Ludovici, Ottonis & Henrici eas Urbes legitime designatas. Et hæc satis sint ad ostendendam Ludovici Pii paginam esse verissimam, eamque illi respondere,

quæ

quæ prostat in Codice antiquissimo Cencii Camerarii: eam item confirmasse singulos Imperatores, Rudolphum itidem, & transmisisse Nicolaum III. ad Rudolphum ipsum atque ad Electores Imperii: eam recognovisse etiam Ablegatum Cæsareum, atque in ejus obsequium Rudolphum in vulgatissima Bulla aurea Civitates præfatas designasse.

§. 11.

Joannes VIII. possedit COMACLUM anno 879.

Videamus nunc quisnam post diploma Ludovici seculo nono COMACLUM possederit. Anno 879. Joannes VIII. Papa, quinquaginta jam lapsis annis ab anno, quo scriptum fuit Ludovici diploma, literas dedit ad Berengarium Fori Julii Ducem, ut COMACLENSES Sedis Apostolicæ rebelles compesceret, & ad solvendum censum quotannis eidem Sedi Apostolicæ cogeret. In hac Joannis epistola, quæ est CLXVII. inter editas multa notanda occurrunt. Pontifex asserit, se Episcopo COMACLI curam Ducatus ejusdem Civitatis commisisse. En itaque COMACLUM jurisdictioni Ecclesiæ Romanæ subjectum. I. Enim Duces, qui more ejus seculi regerent Urbes, Pontifex constituere non poterat, nisi tanquam supremus Dominus. II. Joannes COMACLENSES *rebelles* proclamat & brachium Berengarii implorat, ut eos veluti rebelles plectere valeat: en itidem dominium cum jurisdictionis exercitio palam factum: qua enim ratione poterant esse rebelles COMACLENSES, dum Episcopo in exercendo Ducatum a Sede Apostolica traditum, impedimento erant, nisi Sedis Apostolicæ subditi omnino fuissent? III. In eadem epistola Joannes scribit COMACLENSES *censum*, quem solvebant Romanæ Ecclesiæ, eidem negasse a duobus annis. Ergo ex his probatur præcedentibus annis eos *censum* Romanæ Ecclesiæ semper solvisse, & ad solvendum obligatos fuisse: quæ si non probant dominium & jurisdictionis exercitium, non solum tunc temporis, sed etiam ab annis præcedentibus, vix in antiquissimis dabitur ulla probatio. Appellare enim COMACLENSES censuarios, *rebelles* Romanæ Ecclesiæ, quia *censum* solvere negabant, & commissam ab eadem Sede Apostolica Episcopo curam Ducatus turbabant, est luculenter declarare Cives subditos & Civitatem subjectam Summo Pontifici.

§. 12.

Respublica Venetorum agnovit Joannem VIII. pro supremo Domino COMACLI anno 881.

Hæc veritas amplius educitur ex Andreæ Danduli Chronico ubi scribit anno 881. nempe Joanne VIII. Pontificatum gerente, Joannem Ducem Venetum, Baduarium fratrem suum Romam mittere decrevisse, ut COMITATUM COMACLENSEM a Joanne Pontifice obtineret: & quemadmodum in alio vetustissimo Chronico Venetorum legitur, *ut ex Romani Pontificis largitate eum Comitatum acquireret*: quod Sabellicus & Marcellus, ceterique

que Venetarum rerum Scriptores una voce confirmant. Cur autem Venetorum Dux a Pontifice Comitatum COMACLENSEM petierit, non vero ab Imperatore, aut ab aliis, quisque sibi facile in mentem reducere poterit. Hinc clarissime probatur iis temporibus notum & reliquis Principibus atque nationibus pervulgatum fuisse, COMACLUM ad unam Sedem Apostolicam pertinere: hujusque fuisse dare in feudum eam Urbem, atque de ea disponere: quæ si addantur argumentis erutis ex epistola Joannis VIII. palam fiet eo seculo jus dicendi in COMACLO Sedem Apostolicam plenissime habuisse. Nec contra quicquam facit, Venetos eo anno COMACLO potitos: quippe id factum non alia de causa Chronica testantur, quam ut Veneti injuriam Marini Comitis, Urbis invasoris, qui fratrem Ducis in itinere vulneraverat, ulciscerentur. Neque nos quærimus de dominio, quod ibidem exercuerunt tyranni, invasores & alii quocunque justo titulo destituti; præcipue autem Veneti, qui actis publicis fatebantur, Sedem Apostolicam esse veram COMACLI dominam: qui quidem tyranni & invasores quemadmodum nulla in re Cæsarum Imperio obesse potuissent, si COMACLUM ad eos pertinuisset; ita quoque nec Sedi Apostolicæ obesse potuerunt.

§. 13. Perturbationes Italiæ exeunte seculo IX. & ineunte X. quo COMACLUM ad Ecclesiam Romanam pertinere declaravit Otto I. anno 962.

Ab hoc seculo nono usque ad finem sequentis in tanta rerum perturbatione res Italicæ procubuerunt; ut nemo sua retinere potuerit. Lamberto enim & Berengario certantibus, inde Arnulpho & Ludovico Bosonis filio: deinde Imperio undecim ferè annis vacante, Rudolpho & Hugone de Langobardia inter se diffidentibus, & paulò post Lothario & Berengario II. quæcunque in Italia evenerunt ad invasiones, usurpationes, tyrannides, & vim sine lege vagantem redigenda omnino esse nemo prudens negaverit. Scimus tamen anno 932. COMACLUM a Venetis captum, combustum, direptum, Civesque captivos Venetias abductos, dein remeare permissos, dato Venetis fidelitatis juramento, teste Andrea Dandulo in Chronico Veneto & vetustissimo altero Chronico itidem Veneto. Verum paulò post Otto Magnus a Joanne XII. renunciatus est Imperator, qui statim anno 692. diploma vulgavit, cui partem Ludovici Pii diplomatis inseruit, atque in eo confirmavit donationes & restitutiones Ecclesiæ Romanæ a prædecessoribus factas & palam declaravit, COMACLUM ad Sedem Apostolicam pertinere. Hujus sumptum ex originali erutum, & a Fratre Conrado Ablegato Rudolphi I. recognitum, Nicolaus III. misit ad eundem Rudolphum, uti sæpe jam diximus.

§. 14.

Ottonem I. revera COMACLUM restituisse Ecclesiæ Romanæ patet ex Bulla Leonis VIII. anni 967.

At jam videamus, an COMACLUM per eundem Ottonem Magnum restitutum re vera & cum effectu fuerit Romanæ Ecclesiæ. Clarum fit, illud restitutum fuisse, tum testimonio Luitprandi lib. 6. cap. 6. qui scribit Ottonem I. Summo Pontifici omnes Provincias & Urbes a tyrannis ablatas restituisse, tum auctoris æqualis, qui Rheginonis Chronicon prosequutus fuit, id ipsum affirmantis his verbis: *& Apostolico Joanni Urbem & Terram Ravennatium, aliaque complura multis retro temporibus a Romanis Pontificibus ablata reddidit.* Amplius id patet ex testimonio Leonis VIII. qui anno 967. privilegium largitus Monasterio Aulæ Regiæ COMACLENSI, his utitur verbis; *in Territorio nostro* COMACLI: quæ probant tunc eam Urbem ad jurisdictionem Pontificis pertinuisse; *jurisdictio* enim & *Territorium* idem prorsus sunt in jure, nam terrendi potestas Territorio inest; & cum hæc sit enunciativa emissa a Leone septingentis ab hinc annis, ideoque a tempore vetustissimo, probat dominium, & possessionem ac palam facit, COMACLUM ab Ottone I. ex testimonio Historicorum mox adductorum inter cetera dominia fuisse Ecclesiæ restitutum.

§. 15.

Gregorius V. anno 995. disponit de COMACLO, tanquam suo.

Præterea vix lapsis triginta annis a tempore, quo data est Bulla Leonis VIII. scimus Gregorium V. de COMACLENSI Comitatu, tanquam suo disposuisse; anno quippe 995. Ecclesiæ Ravennati confirmavit omnem regionem, quæ a Portu Volani, Cerviam usque Sedes Apostolica Ravennæ Præsulibus donaverat: in qua regione COMACLUM situm est. Item indulsit omnem functionem, & angariam residentibus in Comitatu COMACLI, & Colonis Ravennatensis Ecclesiæ ibidem manentibus. Functiones vero & angariæ ad jus supremi dominii pertinent. Immo & voluit, eos omnes actoribus Ecclesiæ Ravennatensis obedire: ex quo intelligitur jurisdictionem in COMACLENSES a Summo Pontifice fuisse concessam.

§. 16.

Gregorius V. anno 997. donat COMACLUM Ecclesiæ Ravennati post mortem Adelaidis Augustæ.

Eodem anno idem Pontifex post mortem Adelaïdis Augustæ donavit eidem Ecclesiæ Comitatum COMACLENSEM, ut Præsules Ravennates illum cum omnibus inibi pertinentibus libere tenerent, & in perpetuum ordinarent, uti in Bulla apud Rubeum in Historia Ravennati & Ughellum tom. 2. pag. 349. quo nil clarius haberi potest.

§. 17.

Adelaides fruebatur COMACLO ex concessione Sedis Apostolicæ.

Objiciunt, Adelaidem tunc Comitatum COMACLENSEM tenuisse, ex cujus autem concessione incertum esse. At quis unquam dissimulare poterit rei evidentiam. COMACLUM Sedi Apostolicæ a Pippino restitutum fuerat, a Carolo Magno atque a Ludovico Pio eidem datum: ab Ottone Magno ejusdem Adelaidis

laidis viro in Bulla aurea concessum ac restitutum cum aliis Provinciis & Urbibus ablatis per Tyrannos, uti diximus. Ergo si dominium COMACLI ex confessione Imperatorum & ex facto ejusdem Ottonis Magni ad Sedem Apostolicam pertinebat, Adelaides illud nonnisi a Sede Apostolica obtinuisse poterat. Hoc magis evincitur ex eadem concessione Gregorii V. qui Adelaide mortua, Comitatum COMACLENSEM Ecclesiæ Ravennati donavit. Si vero Adelaides invasisset COMACLUM, Pontifex utique pro justo non adprobasset factum illud irritum & inane, ubi eam urbem concessit in feudum post mortem Adelaidis: quo pacto ostendit Adelaidem tantum in vita jus habuisse. Ergo dum Pontifex id egit, Ecclesiæ Romanæ dominium erat luculentum ex diplomate Ottonis triginta solum jam lapsis annis dato: unde palam fit, Adelaidem ex concessione Gregorii consanguinei sui eum Comitatum COMACLENSEM tenuisse: quibus si addantur enunciativæ intermediæ inter Ottonis Bullam & hanc Gregorii concessionem, ex quibus educitur Pontifices eumdem Comitatum suum & proprium nuncupasse, res satis plana erit.

§. 18. Ravennates COMACLI possessionem recognoverunt ab Ecclesia Romana.

Post hæc Sedes Apostolica per organum Archiepiscoporum Ravennatium, qui COMACLUM ex concessione Pontificum habuerant, possessionem ejus Civitatis tenuit: quicquid enim Feudatarius agat sive possideat, sive jus dicat, sive plectat, sive disponat, id nomine & auctoritate Domini, qui concessit, fecisse videtur, ex regula satis vulgari. Sed etiamsi Romani Pontifices COMACLUM ad se pertinere proclamarent, & Archiepiscopos Ravennates ex Romanæ Sedis concessione illud habuisse palam foret, nihilominus referre juvat quæ gesta sunt sæculo decimo & sequentibus usque ad Rudolphi I. diploma.

§. 19. Acta probantia COMACLUM pertinuisse ad Sedem Apostolicam ab anno 1013. usque ad annum 1177.

Initio seculi XI. anno scilicet Christi 1013. Henricus II. Imperator confirmavit Ecclesiæ Romanæ Provincias & Civitates a Prædecessoribus suis eidem restitutas & datas, & speciatim COMACLUM, uti legitur in ejus diplomate, cujus apographum Nicolaus III. transmisit ad Rudolphum I. Henrico autem defuncto Arnaldus, Guibertus, Henricus, & Gualterus Ravennates Archiepiscopi Sedi Apostolicæ restiterunt, & schismati satis notorio adhæserunt: quo tempore ab Imperatoribus, qui schisma fovebant, Exarchatus universi, Ferrariæ, & COMACLI diplomata quædam obtinuisse dicuntur: quæ tamen sicut respectu Exarchatus & Ferrariæ neutiquam Romanæ Ecclesiæ juribus obesse potuerunt, tanquam gesta schismatis tempore & per vim ac tyrannidem, & contra restitutiones & donationes ab Imperatoribus dictæ Ecclesiæ factas, præsertim illam Henrici II. eo seculo da-

H 2 tam,

tam, in qua recognovit Exarchatum & Ferrariam ad Romanam Ecclesiam pertinere; ita & quoad COMACLUM dicendum est. At cum Gualterus Ravennas Archiepiscopus pœnitentia ductus schisma ejurasset, Gelasius II. restituit per suas literas datas anno 1119. æræ Pisanæ, qui respondet anno 1118. æræ nostræ vulgaris, Ecclesiæ Ravennati Ducatum Ravennæ & omnia bona, possessiones & opida a suis Prædecessoribus eidem concessa. Bulla Gelasii exstat apud Rubeum lib.5.pag.321.atque alibi etiam. Has Gelasii literas confirmarunt totidem verbis Calixtus II. anno 1121. Honorius II. anno 1125. Innocentius II. anno 1133. qui loco *Ducatus Ravennatis* enunciati in Bulla Gelasii ita loquuti fuerunt *confirmamus vobis Exarchatum Ravennæ, qui Romanæ Ecclesiæ juris est*. Honorii Bulla edita fuit ab Ughello tom.2. pag.365. Calixti vero & Innocentii exstant in Codicibus Vaticanis. Quænam vero essent prædia, opida & Provinciæ a Sede Apostolica Presulibus Ravennatibus concessa, patet ex Bulla Honorii III. anni 1224. in qua Pontifex referens concessiones Ravennati Ecclesiæ factas a Gregorio V. Gelasio II. Calixto II. & Honorio II. confirmat Ravennati Ecclesiæ Exarchatum, alia opida & Comitatum COMACLENSEM cum honoribus & pertinentiis suis. Bulla exstat apud Rubeum lib.6. pag.389. & in Codice Vaticano. Hinc intelligitur Honorium II. id ipsum fecisse. Verum quæ facta sint ab anno 1133. quo Innocentius II. confirmans Ecclesiæ Ravennati concessiones Gelasii & aliorum Pontificum Prædecessorum suorum & consequenter etiam donationes Exarchatus & COMACLI factas, jus dominii supremi in COMACLUM exercuerat, examinemus. Anno 1153. Fridericus I. Imperium tenuit. Hic universam ditionem Romanorum Pontificum invasit: Widonem in Ravennatem Archiepiscopum ac Victorem III. Antipapam adversus Alexandrum III. intrusit. Idem plura diplomata vulgasse dicitur, quibus confirmavit Ecclesiæ Ravennati Comitatum COMACLENSEM: & COMACLENSIBUS piscatoribus quædam privilegia etiam concessisse. At cum Fridericus schismate ejurato anno 1177. Venetiis declarasset Regalia S. Petri & universas Provincias antea occupatas Ecclesiæ Romanæ se restituturum, excepta Terra Comitissæ Mathildis & Brictinorio, quæ ad jus Imperii pertinere opinabatur; statutum fuit, ut in Conventu pacifico habendo inter tres Cardinales & tres Proceres Germanos recognosceretur an Terra prædicta & Brictinorium ad Imperium vel Sedem Apostolicam spectaret. Comperto post hæc, dictam Terram & Brictinorium juris Romanæ Ecclesiæ fuisse, in pace firmata Venetiis,

tiis sancitum fuit, omnia Regalia & ipsam Terram Comitissæ Mathildis ac Brictinorium Romanæ Ecclesiæ restituenda cum integritate infra sex menses, rescissis omnibus, quæ hoc medio tempore acta fuerant in contrarium. Extant acta concordiæ hujuscemodi apud Goldastum, Antonium Pagium in Critica Baronii ad annum 1176. & Auctor coævus Alexandri III. id ipsum testatur.

§. 20.

Comaclum ab anno 1177. usque ad annum 273. ad Sedem Romanam pertinuit.

Quæ ergo gesta sunt hoc tempore, investituræ, & privilegia per Fridericum data non officiunt Sedi Apostolicæ, utpote acta schismatis & belli tempore, & per ipsum Fridericum rescissa verbis & factis, prævia restitutione omnium Regalium, Provinciarum, & Civitatum, quas invaserat: immo vero confirmant jus Sedis Apostolicæ. Nam si Fridericus putabat unam Terram Comitissæ Mathildis & Brictinorium ad Imperium spectare, ergo ceteras Urbes & Provincias ad Sedem Apostolicam pertinere palam fatebatur. Et quemadmodum recognitum fuit etiam Terram prædictam & Brictinorium Romanæ Ecclesiæ restituenda esse, tanquam sui juris, ita declaratum est tunc Imperium in Exarchatu atque in omnibus aliis Provinciis & Civitatibus & sic etiam Comaclo nullum prorsus jus habere. Interea Alexander III. confirmavit Ecclesiæ Ravennati ea, quæ Prædecessores sui concesserant, addiditque Brictinorium. Hoc discimus ex auctore ejus ævi, qui scripsit vitam Innocentii III. ubi cap. 12. hæc habet: *Misit præterea Innocentius Nuncios, & Legatos ad recuperandum Exarchatum Ravennæ, Brictinorium, & Terram Cavalca Comitis. Sed Archiepiscopus Ravennas asserebat Exarchatum antiquitus fuisse concessum à Romanis Pontificibus Ecclesiæ Ravennati, & privilegia ostendebat: Brictinorium quoque concessum fuisse de novo ab Alexandro Papa dum Venetiis moraretur. Supersedit ergo D. Innocentius prudenter ad tempus magis, quam super hoc vellet aliquid experiri. Permisit autem, ut Archiepiscopus Ravennas, salvo jure Sedis Apostolicæ, recuperaret Brictinorium & teneret.* En igitur post rescissa acta Friderici, Archiepiscopum Ravennatem non produxisse investituras& confirmationes Imperiales, sed Apostolicas. En itidem probatum eumdem ostendisse Bullas Prædecessorum Innocentii, in quibus, uti diximus, Comaclensis Comitatus expressus erat. En tandem Alexandrum III. hæc Pontificia privilegia confirmasse & Brictinorium addidisse, atque Innocentium III. recognitis titulis, Ravennati Præsuli Exarchatum & Civitates in iisdem privilegiis contentas (inter quas Comaclum) dimisisse. Sed objicient Henricum VI. anno 1191. Comacli Comitatum Ferrariensibus

tri-

tribuiſſe & Marcualdum Seneſchalcum ſuum de Ducatu Ravennati inveſtiviſſe. Verum hæc facta ſunt ſpreto juramento, quod Cœleſtino III. Henricus præſtiterat, ſpondens patrimonium S. Petri ſi quod ablatum eſſet, ſe reſtituturum. Plura alia idem Henricus Romanæ Eccleſiæ abſtulit; unde ab eodem Cœleſtino anathemate percuſſus anno 1195. biennio poſt morti proximus in tabulis teſtamenti mandavit omnia, quæ Sedi Apoſtolicæ abſtulerat & præſertim *Ducatum Ravennatem*, eidem reſtitui, uti æqualis Scriptor vitæ Innocentii III. refert & notorium eſt: quod etiam probatur ex ejuſdem Innocentii epiſtolis, videlicet epiſt.27. lib.1. epiſt.108. & 109. ac Rubeo lib.5. pag.364. ex quibus eruitur Innocentium III. in Ducatum Ravennatem & Exarchatum jura ſupremi dominii ſibi vindicaſſe: quin etiam in COMACLUM præſertim: nam ſcimus eundem Pontificem Azoni Eſtenſi confirmaſſe poteſtatem illam, quam abſque Apoſtolicæ Sedis auctoritate in Urbem Ferrariam perperam ſibi arrogaverat, ut legitur apud Raynaldum ad annum 1206. n. 38. & ad annum 1211. n. 8. atque ex ejuſdem Innocentii epiſtolis originalibus, in quibus etiam COMACLI Comitatus diſtrictui Ferrarienſi additus reperitur: quod Pontifex facere non poterat, niſi tanquam ſupremus Dominus. Ab Ottone IV. ad Imperium evecto Innocentius Bullam auream petiit, quam Otto vulgavit anno 1210. expreſſis Provinciis ad Sedem Apoſtolicam pertinentibus. Verum cum & is Romanæ Eccleſiæ ditiones invadere cœpiſſet, ac Ravennati Eccleſiæ confirmaſſet opida cuncta, quæ a Pontificibus obtinuerat & Comitatum COMACLI, quin Comitatum Ferrariæ; Innocentius adverſus eum anathema protulit, abrogavitque omnia, quæ Otto geſſerat, & Fridericum in Romanorum Regem eligi curavit, uti ex lib.15.epiſt.84. ejuſdem. Fridericus II. anno 1213. diploma vulgavit, in quo conſentientibus Principibus Imperii, Exarchatum, Pentapolim, ceteraſque Urbes & Provincias a tempore Ludovici Pii in poſterum datas, donatas, reſtitutas & conceſſas a ſuis prædeceſſoribus, Eccleſiæ Romanæ iterum donavit atque reſtituit, ideoque etiam COMACLUM, in paginis Ludovici Pii, Ottonis I. & Henrici II. nominatim expreſſum: quod & coram Honorio III. Innocentii ſucceſſore anno 1220. iterum fecit. Honorius ſubinde literas dedit ad Simonem Archiepiſcopum Ravennatem, in quibus, ſicut ſuperius relatum eſt, confirmavit illi & ſucceſſoribus ſuis Exarchatum & Comitatum COMACLENSEM, & hanc conceſſionem Gregorius IX. iiſdem fere verbis anno 1228. renovavit. Nec quicquam facit, quod hac ætate conſtet COMACLUM poſſeſſum fuiſſe a Ferrarienſibus,

ſibus vel a Ravennatibus, aut ab utriſque inſolidum; quando utrique erant Sedis Apoſtolicæ ſubditi, quare etiam pro ea poſſidebant vel ex ejuſdem tolerantia. Sed, quod plus eſt, patet etiam eo tempore Fridericum II. invadere cœpiſſe, non obſtante iterato juramento Innocentio III. & Honorio III. præſtito, patrimonium S. Petri; pluresque Urbes Exarchatus Imperatoris partes ſequutas: unde unicuique populo illarum partium licuit bellum parare & paciſci, alteriusque territorium invadere. At anno 1247. depoſito in Lugdunenſi Concilio Friderico ab Innocentio IV. Guillelmus Hollandiæ Comes ſuffectus per Electores Imperii diploma edidit pro Eccleſia Romana, in quo Exarchatus & Pentapoleos, ceteræque Urbes a prædeceſſoribus ejus Eccleſiæ Romanæ reſtitutæ, deſignatæ ſunt. Hinc factum eſt Ravennates Legato Apoſtolico fidelitatem juraſſe, & Alexandrum Bullam dediſſe ad Archiepiſcopum Ravennatem, qua illi Comitatum Comaclensem confirmavit anno 1255. Comaclenses interea anno 1273. juramentum fidelitatis Ravennatibus præſtiterunt defectione facta a Ferrarienſibus. Hæc tamen, uti dictum eſt, Sedi Apoſtolicæ minime obſunt; nam quemadmodum Romana Eccleſia ex defectione Ravennatium & Ferrarienſium non perdidit dominium aut poſſeſſionem amiſit earum Urbium, ita neque ex defectione Comaclensium. Fecit enim Romana Eccleſia quicquid facere potuit ad jus ſuum vindicandum. Ab Imperatoribus habuit diplomata, quibus dominium Exarchatus, Pentapoleos & Comacli ad Sedem Apoſtolicam pertinere declarabatur. Archiepiſcopis vero Ravennatibus dedit in feudum & conceſſit Comitatum Comacli cum pertinentiis ſuis: & ſic recognovit Comaclum ad ſe ſpectare, & inveſtituras, conceſſiones & ſua jura illæſa ſervavit, & ſupremi dominii jura exercuit: quo caſu nil curandum eſt, an paulò ante Rudolphi diploma Comaclum invaſiſſent Polentani, an Ferrarienſes, an Ravennates; omnes enim erant tyranni quocunque legitimo titulo deſtituti, ac rebelles Sedis Apoſtolicæ, quorum poſſeſſio dicitur infecta, irrita, per vim habita & nullius momenti: & ſicuti non obſuiſſet Imperio, ſi ea Urbs ad illud pertinuiſſet; ita nec Sedi Apoſtolicæ obeſſe potuit, quæ oſtendit tot titulos ſupremi dominii in Comaclenses, quot ſunt acta & diplomata Imperatorum, quæ retulimus. Ex his clariſſime oſtenſum putamus, Sedem Apoſtolicam ab antiquiſſimo tempore uſque ad ætatem Rudolphi Comaclum habuiſſe, atque de eo diſpoſuiſſe, ſicuti ſupremi Domini de rebus ſuis diſponere ſolent, inveſtiendo, plectendo, concedendo & aſſerendo.

DISCUSSIO II.

Circa Articulum II. reſpicientem Sedis Apoſtolicæ dominium & poſſeſſionem Comacli ante diplomata Rudolphina & Electoralia.

SYNOPSIS.

Oſtenditur Apoſtolicam Sedem poſt primam reſtitutionem Comacli *factam ab Aiſtulpho, per quaſcunque uſurpationes & tyrannides nunquam amittere potuiſſe jus & dominium ſupremum in eandem Civitatem: nec legitimos & veros Imperatores aliter unquam ſenſiſſe.*

§. 1. Conventus diei 9. Octobris 1710.

IN Conventu habito ſub die 9. Octobris, iis quæ retulerunt Excellentiſſimus Dominus Legatus Cæſareus, & Illuſtriſſimus Dominus Præſes Caroellus, ita reſpondit Reverendiſſimus Dominus Corradinus Archiepiſcopus Athenarum.

§. 2. Novæ objectiones contra dominium Sanctæ Sedis in Comaclum, refelluntur.

Plura congeſta ſunt ad probandum non Sedem Apoſtolicam, ſed Imperium poſſediſſe Comaclum antequam Rudolphus I. diploma ſuum pro Romanæ Eccleſiæ dominiis vulgaret: at omnia ab eodem ſcopo magnopere exorbitant. Præmittimus Sedem Apoſtolicam titulum clariſſimum oſtendere, ſcilicet Conſtitutiones antiquas Ludovici Pii, Ottonis I. Henrici II. & Rudolphinum memoratum diploma: in quibus Comaclum ad Romanos Pontifices pertinere decernitur. Præmittimus itidem has donationes illicò in Pontifices transtuliſſe dominium Comacli & poſſeſſionem: immo diploma Rudolphi declarantis *pleno jure inſolidum, integre & jure Principatus & ditionis* ad Sedem Apoſtolicam Comaclum ſpectare, evincere Romanam Eccleſiam eam Civitatem poſſediſſe, quemadmodum in Conventu diei 4. Auguſti probatum fuit. His præmiſſis non indiget Romana Sedes argumentis, ut aliunde probet ſe Comaclum habuiſſe; ſatis enim illi eſt donationes Imperatorum ac Bullas aureas Rudolphi I. exhibere, quæ pro maximo titulo habenda ſunt. Victi hoc argumento Miniſtri Cæſarei illud hoc pacto diluere conati ſunt in dicto Conventu diei 4. Auguſti. Siquidem aſſerere non dubitarunt, donationes quoad Comaclum, nunquam perfectas, nec rem ad finem perductam unquam fuiſſe, Romanoſque Pontifices nullo unquam tempore eam Urbem poſſediſſe, ſed Comaclenses ſemper ſub demanio Imperii ſtetiſſe. In hoc autem Conventu rem ea methodo expendunt, ac ſi Romana Sedes oſtendere te-

ne-

neretur se COMACLUM *semper* habuisse, Imperium nunquam, cum tamen sufficiat ad exsufflandas objectiones jam relatas, Sedem Apostolicam in COMACLUM jurisdictionem exercuisse, ejusque Cives jussis Pontificum paruisse: licet interdum Imperatores hostes Ecclesiæ facti, vel populi rebellantes aut tyranni ac refractarii eam Civitatem invasissent: vel ipsi COMACLENSES a Sede Apostolica deficientes in Venetorum vel Ravennatium potestatem res contulissent. His positis adhuc manent ea, quæ diximus in Conventu diei 27. Augusti: unde patet Romanos Pontifices ab anno 755. ad diploma usque Rudolphi I. COMACLUM sæpe sæpius possedisse, animoque semper retinuisse hanc possessionem, etiam iis temporibus, quibus vel Imperatores vel tyranni eam Urbem occupaverant.

§. 3. COMACLUM possessum a Sancta Sede post Pippinum.

Objiciunt, ab Anastasio non referri sub Stephano II. sive III. aut post donationem Pippini Romanos Pontifices COMACLUM habuisse: ejusque testimonium fide laborare, cum non desint, qui Anastasii codicem culpent veluti pluribus scatentem erroribus, aut ab eodem minime scriptum. Verum in hoc sane longe allucinantur, nam uti sæpe in Conventibus probatum est, Anastasius luculenter affirmat post restitutum ab Aistulpho COMACLUM Pippino, fuisse illud ab eodem Pippino traditum virtute donationis præcedentis Stephano Papæ & successoribus, quemadmodum videre est apud eundem Anastasium in Stephani II. vita pag. 126. qui testatur etiam illa ætate donationem servatam in Archivo Sedis Apostolicæ. Refert etiam Pippinum omnes easdem Civitates receptas ab Aistulpho iterum donasse Beato Petro. Sed cum inter receptas Civitates esset COMACLUM, quis jure affirmaverit illud minime inclusum? Addit præterea *ad recipiendas ipsas* Civitates, nimirum a Pippino oblatas, missum Fulradum Abbatem, quem Anastasius scribit recepisse claves & obsides Urbis Ravennæ & diversarum Civitatum Exarchatus, illasque posuisse in confessione Beati Petri una cum donatione. Demum subdit, Pippinum omnes eas Civitates *perenniter possidendas & disponendas* tradidisse Pontificibus Romanis: & explicans quænam essent eæ Urbes, ait: *idest Ravennam, Ariminum, Cæsenam &c. Eugubium, seu* COMACLUM *&c.* Quare constat, lucem Solis negare qui negat inter Civitates datas a Pippino Stephano II. & restitutas ab Aistulpho, atque inter eas, quæ claves dederunt, non fuisse COMACLUM, dum Anastasius inter diversas Civitates Exarchatus *perenniter possidendas & disponendas* datas, eam Urbem designavit; præsertim dum in vita Hadriani I. pag. 144. narrat Legatos Ravennatium Romam venisse exponentes Desiderium

Regem Langobardorum *abstulisse Civitatem Faventiæ & Ducatum Ferrariæ seu* COMACLUM *de Exarchatu Ravennate*, *quas Pippinus Rex & ejus filii Carolus & Carlomannus Beato Petro concedentes obtulerunt*, addens, quod eas Civitates Stephanus II. Paulus I. & Stephanus III. prædecessores Hadriani I. detinuerant, & Desiderius a Romana Ecclesia abstulerat. Si hæc non probant possessionem idest titulus & donatio Pippini clarissima, ac dominatio COMACLI ab anno 755. ad annum 774. nempe spatio fere annorum 21. exponant doctissimi Ministri Cæsaris alios modos, quibus melius probari queat possessio præsertim in antiquissimis.

§. 4. Donatio & restitutio Exarchatus & COMACLI facta Sanctæ Sedi per Principes Carolinos, amplius roboratur contra quascunque objectiones.

Sed ipsi ad antiquiora confugiunt putantes ante Stephanum II. Romanam Sedem Exarchatum non habuisse, sed Græcos Imperatores. Verum hæc non est quæstio nostra, quam peritissimus vir, qui de Sedis Romanæ *Dominio* scripsit, satis superque digessit ostendens longe ante Stephanum II. Romanos Pontifices populis illarum partium imperasse. Quæstio illa tangit articulum, an scilicet Pippinus & Imperatores restituerint an simpliciter donaverint eas Regiones Romanis Præsulibus: quem nos non expendimus. Nobis enim sufficit ostendere Pippinum donasse eas Provincias una cum COMACLO nominatim, ejusque Urbis dominium & possessionem apud Romanos Pontifices tunc fuisse vigore restitutionis sive etiam simplicis donationis. Nec subsistit id tantum desumi ex testimonio Anastasii. Quandoquidem testimonium Scriptoris illorum temporum in re vetustissima maxime probat, præcipue si illi accedat auctoritas Astronomi & Eginardi, qui paulo ante vixerunt & memorant id ipsum, donatum scilicet & restitutum Pontificibus a Pippino & Carolo Magno Exarchatum Ravennatium, immo & Fulradi Abbatis mentionem faciunt. Et procul dubio si addatur donatio & confirmatio facta a Ludovico Pio successore Caroli Magni, in qua diserte COMACLUM describitur, sicuti etiam in Constitutionibus Ottonis Magni, Henrici II. & Rudolphi I. quæ Imperatorum paginæ confirmantes donationem Pippini & Caroli Magni, manifestum faciunt ad ea usque tempora COMACLUM donatum fuisse. Quare undique apparet, Anastasii dictum veritati quammaxime consonare.

§. 5. Anastasii auctoritas a cavillationibus vindicatur.

Verum etiamnum illud incertum esse contendunt, quia Anastasius donatum scribit a Pippino *Eugubium seu* COMACLUM, & in vita Hadriani I. ablatum a Desiderio *Ducatum Ferrariæ seu* COMACLUM. At nemo ignorat ætate illa particulam *seu* a Scriptoribus usurpatam frequenter pro &. Videantur Petrus de Marca

ca de Concord. lib.6. cap.5. Gothofredus in Codicem Theodosianum, Caspar Barthius Adversar.pag.1217. Ducangius in Glossario verbo *seu*. Eodem modo vocem usurpasse Anastasium intelligitur ex iis, quæ ipse refert, nam dum scribit Aistulphum pacto restitutionis addidisse COMACLUM, illudque restituisse Pippino, & Pippinum omnes Civitates ab Aistulpho receptas tradidisse Ecclesiæ Romanæ, jam patet inter eas fuisse COMACLUM jam restitutum. Silentio autem præteriri poterant Scriptores carpentes Anastasium. Lambecius enim to.2. Bibliothecæ Cæsareæ pag.925. refert quidem non deesse, qui eum erroribus fœdatum affirment, at ipse prudens suam sententiam non profert. Pagina vero 926. ait non Anastasium solum, sed & alios Bibliothecarios Romanæ Ecclesiæ Pontificalem codicem exarasse, hæc subdens: *Celeberrimus autem omnium memoratorum continuatorum est Anastasius*. Insuper describit vetustissimos alios Codices similes, qui extant in Bibliotheca Cæsarum Austriacorum. Martinellus & huic similes, qui adducuntur, putant vitas Pontificum primi, secundi, tertii, quarti, quinti & sexti seculi in eo Codice scriptas, erroribus deturpatas. At has non adscribunt Anastasio, sed aliis. Omnes vero affirmant gesta Pontificum Gregorii III. Zachariæ, Stephani II. & III. & successorum ad seculum usque nonum in eo Codice narrata, esse verissima, ab uno Anastasio, qui vixit proxima ætate collecta aut descripta, a nemine unquam oppugnata, testimonio Schelestratii Antiquitatis illustratæ to.1.pag.386.387. & 388. & Holstenii in notis ad eundem pag.387. qui rem universam expendunt. Frustra ergo irruunt in Anastasium, quem literati omnes laudant, & cujus Codex non Romæ, sed Moguntiæ primum, dein Parisiis typis impressus est, eruditissimis quibuscunque toto Orbe plaudentibus.

§. 6. Frustra oppugnatur donatio Pippini.

Objiciunt Pippinum non potuisse donare. At cur post tot sæcula Pippini donationi controversiam moveant, non intelligimus. Satis est a Pippino ad Ludovicum Pium Ecclesiam Romanam possedisse COMACLUM, & eam Civitatem a Carolo Magno Imperatore, & a Ludovico Pio Ecclesiæ Romanæ donatam: Ludovicum itidem Pium confirmasse donationem Pippini, & Caroli Magni ac successores in Imperio id ipsum fecisse: & nisi hæc sufficiant, omnes Principatus in Orbe incerti erunt. Addunt præterea non Pippinum, sed Aistulphum COMACLUM donasse, & Carolum Magnum non secundam, sed primam donationem a Pippino Carisiaci factam confirmasse, in qua COMACLUM non erat inclusum. Sed iis responsum fuit in Conventu diei 11. Septembris, ubi ostendimus subtilitatibus non esse certandum in

re clariſſima & graviſſima. Nam Anaſtaſius ſcribit COMACLUM in donatione comprehenſum, & Ludovicus Pius, Otto Magnus, Henricus II. & Rudolphus I. illud in præcedentibus donationibus incluſum palam proclamarunt, atque ideo argumenta contra veritatem palam factam ab ipſis Imperatoribus minime proſunt. Quamobrem Romana Eccleſia non deſumit titulum ab Aiſtulpho Tyranno, & invaſore, ut perperam affirmatur. Et quidem in memorato Conventu diei 11. Septembris ſatis probatum eſt in prima donatione a Pippino Cariſiaci facta COMACLUM incluſum, nam Pippinus omnium teſtimonio in pacto Cariſiaci inito donaverat *Exarchatum integrum Ravennæ*, in quo COMACLUM continebatur. Nec eſt cur dicatur teſtimonio ejuſdem Anaſtaſii in vita Hadriani I. Carolum Magnum donaſſe Exarchatum, *prout antiquitus erat*, & ſic patere Pippinum id ipſum feciſſe, unde originem Exarchatus antiqui repetendam eſſe opinantur doctiſſimi Miniſtri Cæſarei, putantes antiquum Exarchatum ſex tantummodo Urbes continuiſſe, non autem COMACLUM, quod ad Regnum Italiæ ſpectaſſe hariolantur: quandoquidem Anaſtaſius ipſe, ex quo eruitur objectio, illam ſolvit, dum in ejuſdem Hadriani I. vita pag. 144. *Ducatum Ferrariæ & COMACLUM* ad Exarchatum Ravennæ pertinuiſſe diſertiſſimis verbis affirmat. Verum ad vetuſtiſſimos Exarchatus terminos nunc remeare non eſt operæ pretium. Et illud dicere ſufficiat, Jordanum, qui ex adverſo producitur, tantummodo affirmare, vocem ipſam Græcanicam *Exarchatus* ſex Civitatum regimen præſeferre. Veruntamen quot aliæ Urbes, & Regiones ſub earum Civitatum majorum diſtrictibus & continentiis eſſent, & quænam Civitates ipſæ majores, Jordanus explicare neglexit.

§. 7.

Exarchatus ampliſſimus olim fuit & ſemper comprehendit COMACLUM.

Præterea omnis ratio ſuadet Exarchatum, *prout antiquitus erat*, fuiſſe longe ampliorem quam tempore Caroli Magni. Quippe jam doctiſſimi Miniſtri Cæſarei in hoc Conventu affirmarunt Imperatores Græcos ad annum uſque 700. Exarchatum univerſum tenuiſſe, dein Langobardorum Reges invaſiſſe plures ejuſdem Exarchatus Urbes, & Græcorum potentiam ab ea ætate in Italia pene ſuppreſſam: unde fit veterem Exarchatum ampliorem fuiſſe recentiore, & ab Anaſtaſio ideo nominatum *Exarchatum univerſum prout antiquitus erat*, ut intelligeretur in donatione Pippini incluſum integrum Exarchatum, uti erat durante Græcorum potentia in Italia, non autem uti erat eadem jam decreſcente, eaque ætate, in qua Langobardi ab Exarchatu plures Urbes abſtulerant. Inſuper Anaſtaſius in vita Stephani II. numerat Urbes Exarchatus donatas Romanæ Eccleſiæ, inter quas Co-

MA-

MACLUM. Narrat etiam in vita Hadriani I. coactum Desiderium a Carolo Magno Urbes ablatas eidem Hadriano restituere: ergo si inter ablatas Civitates erat COMACLUM, quemadmodum Anastasius dilucide scribit, jam patet COMACLUM *ad Exarchatum illum universum, prout antiquitus erat* pertinuisse. Demum si Ludovicus Pius, si Otto Magnus, Henricus II. & Rudolphus I. in Bullis aureis donarunt,& ad Sanctam Sedem pertinere edixerunt Exarchatum *integrum*, declarantes Civitates, quæ in eo continebantur particula *idest* explicante & designante ipsius Exarchatus Urbes, & inter eas enunciarunt COMACLUM, uti dictum est in Conventu diei 11. Septembris; jam ex confessione solemni Cæsarum habemus cujus latitudinis esset Exarchatus inclusus in donatione Caroli Magni per Anastasium relata: quam Ludovicus Pius & ceteri successores confirmarunt: ideoque ex Anastasio, & facto Imperatorum intelligimus COMACLUM ad Exarchatum spectasse, & rem clarissimam frustra in dubium vocari. Blondus quoque decad.2. lib.1. pag.150. inter Civitates Exarchatus COMACLUM describit; & Æneas Silvius in Compendio decadum Blondi oper. pag. 188. Insuper in publica & solemni descriptione Exarchatus, quam fecisse scimus Ludovicum Episcopum Magolonensem ætate Martini V. Pontificis, inter Urbes Exarchatus, COMACLUM itidem enumeravit. Immo & ipse Agnellus schismaticus, qui seculo IX. scripsisse dicitur gesta Archiepiscoporum Ravennatum, & cujus scripta primum educta sunt ex Archivo Estensi, & quidem mutila, testimonio Abbatis Bacchini in notis ad eumdem Agnellum, Territorium COMACLI in Exarchatu statuit ubi meminit Sergii, qui uti Vicarius Romanorum Pontificum eas oras regebat, quemadmodum infra referemus, & notat idem Bacchinus pag. 437. Verba Agnelli hæc sunt: *judicavit a finibus Perticæ totam Pentapolim, & usque ad Tusciam, & usque ad mensem* Walani *veluti Exarchus, sic omnia disponebat ut soliti sunt modo Romani facere*. Si Sergius uti Exarchus, idest eo modo, quo Exarchi prius dominabantur, imperavit regionibus pluribus comprehensis intra fines designatos, & usque *ad mensam* W*alani*, quæ nunc *Portus Volani* dicitur, & est ultra territorium COMACLENSE Venetias versus, jam scimus Exarchos non sex Urbibus, sed longe pluribus, & usque ad eum limitem dominium suum protendisse,Romanosque Pontifices COMACLUM tenuisse; Si autem affirmat ætate, qua scribebat, idest ad finem seculi VIII. & initio IX. Romanos tunc eodem modo iis omnibus Regionibus imperasse, jam intelligimus Romanam Ecclesiam COMACLUM seculo VIII.quo is scripsit,possedisse.Rubeus Ravennat.histor.lib.4.

ad

ad annum 755. pag.223. referens factum Pippini & Stephani II. memoriæ prodidit, Aistulphum Fulrado Abbati Pippini Legato restituisse Ecclesiæ Romanæ Ravennam, pluresque alias Urbes, & COMACLUM, & etiam missis Legatis suis possessionem dimisisse: & describens Exarchatum Ravennatem hæc subdit: *Sed ex Ludovici Pii Cæsaris tabulis Augustalibus, qui conprobat Pippini Avi, & Caroli Magni Patris restitutiones Ecclesiæ Romanæ, colligi facile potest in Pentapoli eo tempore contineri Ariminum &c. Exarchatus Ravennas habebat Ravennam, Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forumpompilii, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam,* COMACLUM, *& Adriam, & Gabellum*. Inde lib.5. ad annum 771. pag.228. refert, Desiderium ab Exarchatu abstulisse Faventiam & COMACLUM, coactumque a Carolo Magno eas Urbes, atque universum Exarchatum Pontificibus Romanis restituere. Narrat etiam lib.5. pag.226. Sergium Archiepiscopum Ravennatem, quem scimus per Stephanum II. Rectorem earum Regionum factum & deinde ejectum, a Paulo I. Pontifice Romam evocatum & dignitate privatum, a Stephano III. qui IV. dictus est, pristinæ dignitati restitutum: unde patet commentum eorum, qui ex eodem Agnello putant Sergium jure Imperiali Exarchatum tunc rexisse. Jam enim memoravimus eum tanquam Pontificum Vicarium jussa eorum fecisse; Romæ captivum sub Paulo I. & honore spoliatum, multisque calamitatibus afflictum: Græcos quoque in Italia omni prorsus potentia destitutos, non potuisse Sergium hunc Exarchum constituere & tueri, neque Imperatorem Occidentis, cum Leo III. qui primus Carolum Magnum Imperatorem in Occidente creavit, Pontifex renunciatus fuerit Sergio jam mortuo. Hoc amplius firmatur epist.54. Hadriani I. in Cod. Carolino, in qua ejusdem Sergii mentionem hoc modo facit. *Et omnes in hoc cognoscere possunt qualem potestatem ejus Beatitudo* (Stephanus scilicet) *in eamdem Ravennatium Urbem & cunctum Exarchatum habuit, qui etiam Archiepiscopum Sergium exinde abstulit, dum contra ejus voluntatem spiritu superbiæ nitebatur*. Hoc verissimum esse apparet ex historia relata superius per Rubeum.

§. 8.

Argumenta deducta ex Archiepiscoporum Ravennatium usurpationibus diluuntur.

Verum adhuc insurgunt objicientes, Leonem Archiepiscopum successorem Sergii COMACLO, Ducatu Ferrariæ, Faventia, Cæsena & pluribus aliis Urbibus Exarchatus potitum, & contra Hadrianum I. blaterasse, ab ipso Carolo Magno Exarchatus Urbes, quas occupaverat, in sua jura translatas, & coram eodem Carolo pertinaciter id ipsum jactasse. Sed hæc nil nihil Sedi Apostolicæ obsunt, immo probant donationes a Pippino, & Caro-

Carolo Magno factas, executioni mandatas. Nam Hadrianus I. epist. jam adducta, necnon 51. & 52. disertissimis verbis memorat Carolo Magno eas Urbes a Pippino & eodem Carolo fuisse donatas & restitutas: subdit etiam Stephanum & alios ejus Prædecessores de illis dispofuisse, Civibus imperasse, Judices constituisse: & Desiderio oppugnato se id ipsum fecisse, ac Leonem refractarium Ecclesiæ eas Civitates invasisse *tyrannico intuitu*. Insuper clamores Leonis jam superius objectos repetit. Sed illi erant nudi clamores occupantis sine ullo justo titulo. Nam si vix anno jam lapso Carolus Magnus confirmaverat donationem a Pippino Ecclesiæ factam, in qua Exarchatus *universus*, & nominatim eæ omnes Civitates, quas Hadrianus memorat, continebantur, sicuti jam probavimus, cur credi debeat Carolum statim mutato consilio, illas Leoni Ravennati donasse, ii inquirant, qui hæc & similia produnt. Hæc evenerunt anno 775. quo eæ epistolæ ad Carolum missæ fuerunt: & constat Carolum Leonis pertinaciam statim fregisse; nam is diem objit anno 777. teste Rubeo lib.5. pag.229. eique successerunt Joannes & dein Gratiosus Archiepiscopi Hadriano adhuc superstite: & tamen neque ex Rubeo aut ex ejusdem Hadriani epistolis sequentibus annis ad Carolum Magnum datis educitur conquestio ulla Pontificis, aut ulla Joannis & Gratiosi temeritas in ditiones Pontificias. Immo Rubeus eodem libro pag.236.narrat sub Leone III. & Stephano IV. Hadriani successoribus imminutam prorsus dignitatem Urbis Ravennæ & Archiepiscoporum, quod *Romani Pontifices post translatum in Occidentem Imperium, exactosque ex omni Italia Langobardos, multum opibus ac potentia aucti essent*, unde patet Leonis refractarii pertinaciam brevi durasse. Ex his colligitur umbras captare, qui ostendere conantur COMACLUM ad Regnum Italiæ pertinuisse. Ex prædictis enim satis probatum est eam Urbem in Exarchatu Ravennæ contineri. Hoc evincunt testimonia historicorum ætatis illius, qua primum Exarchatus donatus est Ecclesiæ Romanæ, ac ipsæ donationes Ludovici Pii, Ottonis Magni, Henrici II. & Rudolphi I. in quibus COMACLUM in Exarchatu statutum est, & quidem in Exarchatu donato Ecclesiæ. Quare non poterat ea Civitas in Regno Italiæ ad Carolum Magnum pertinente comprehendi.

§ 9.

Pippinus junior COMACLUM a Græcorum obsidione defendit ex pacto inter Leonem III. & Carolum Magnum. Lotharius Rex Italiæ nullum supremum jus habuit in COMACLUM.

Neque contrarium evincit factum Pippini Caroli Magni filii & Italiæ Regis, qui dicitur COMACLI præsidium disposuisse,& eam Urbem adversus Græcos tutatum. Quandoquidem & ii, qui non sunt Domini consueverunt frequenter præsidium disponere in opidis, quorum tutelam habent: quod nemo non novit. At cum

cum Carolus Magnus pacto cum Pontificibus inito promisisset Romanam Ecclesiam, ejusque patrimonia tueri, mirum non est ab eodem Pippinum filium in Italiam missum, ut Græcos tunc Francorum æque ac Romanorum hostes, Exarchatum, aliasque Urbes Ecclesiæ donatas, oppugnare tentantes, repelleret. Hoc verissimum esse colligimus ex epistola II. Leonis III. inter eas, quas publicavit Conringius ante annos sexaginta pag. 36. Hanc epistolam Conringius ipse in notis pag. 64. & 70. scriptam observat ad Carolum Magnum anno 808. nempe anno qui præcessit eum, quo Græci COMACLUM obsederunt. In ea Leo gratias agit Carolo, qui Pippinum filium suum se in Italiam missurum promiserat: quem se complexurum significat, sicut par erat *filio tam magni Defensoris Sanctæ Dei Ecclesiæ*. Inde sic scribit: *De vero Ecclesiis Dei, ut suas habeant justitias, atque Litoraria nostra, & vestra ab infestatione paganorum & inimicorum nostrorum tuta reddantur atque defensa, nos quantum Dominus virtutem donaverit, cum ipso filio prædicto vestro studium ponimus. Sed ut vestrum consilium, & vestrum solatium, & vobis & illi necesse est*. Hinc educitur, Pippinum a Carolo missum, ut morem gereret Leoni auxilium petenti adversus Græcanicam gentem, hostesque Ecclesiæ Romanæ & ut tueretur *Litoraria* ejusdem Ecclesiæ, & etiam locorum aliorum ad Carolum, eumdemque Pippinum spectantium: inter quæ *Litoraria* erat COMACLUM, quod tutatus est Pippinus præsidio ibidem disposito, ut Caroli patris jussa faciens a *Litorariis* Romanæ Ecclesiæ hostes averteret. Nec omnino tacendum Lotharii Italiæ Regis factum ex donatione, quam fecit anno 947. Guidoni Episcopo Mutinensi, apud Ughellum Ital. sacr. tom. 2. pag. 128. Donavit quippe Lotharius *res juris nostri positas in* COMACLENSI *Comitatu*. At cur non donavit res universas, sed tantum juris sui, more privati, neque enunciavit COMACLENSEM Comitatum suum, si ille ad Regnum Italiæ pertinuisset? Hoc illi disquirant, qui ambagibus istis clarissimam rem offuscare satagunt. Insuper subdit: *quæ fuerunt juris quondam Vitalianæ relictæ quondam Joannis Archidiaconi*, nempe res & prædia singularia, quæ Lotharius jure privato acquisiverat. Deinde addit: *scilicet mansionem & Curtem, & Salinas, & quidquid illius juris fuit, & proprietario ordine diebus suis possedit. Prædictas res igitur juris nostri in* COMACLENSIBUS *finibus positas, sicut fuerunt juris quondam Vitalianæ a nostro jure & dominio, in præfati Widonis Episcopi jus, & dominium transfundimus*. Lotharius ergo non possedit COMACLUM, sed bona privata jure privato & ex jure Vitalianæ viduæ & olim uxoris viri pri-

privati, quæ nunquam habuit nec habere potuit dominium Comacli. Necquiquam prodest adversariis inter ejus bona *Salinas* numerari, nam qualitas personæ privatæ, quæ eas Lothario reliquerat, ostendit, eas *Salinas* fuisse prædia privata, non autem Regalia, idest cum jure Sal legendi, & vendendi: quæ proculdubio Lotharius mutuatus non fuisset a fœmina, aut habuisset ex Legato viduæ privatæ, si dominium Comacli uti Italiæ Rex obtinuisset: atque ideo id probat Comaclum ad Lotharium non pertinuisse.

§. 10. Comaclum nunquam stetit intra fines Venetorum, & ad unam Sanctam Sedem pertinuit.

Ubi vero intra fines Venetorum Comaclum stetisse contendunt, non animadvertunt se longe aberrare. Nam Sigonius de Regno Italiæ ad annum 810. scribit, tunc Venetam Rempublicam *a Grado ad caput Aggeris vulgo Cavarzere angustissimis terminis clausam*. Andreas Dandulus in Chronico Venetorum fines Reipublicæ & Ducatus Loreum usque protendit. Henricus VI. in diplomate Ferrariensibus dato anno 1191. eosdem fines longe lateque a Comacli Comitatu distantes designat. Ludovicus Pius, Otto I. Henricus II. & Rudolphus I. Comaclum, Adriam & Gabellum in Exarchatu statuunt. Ex his constat ad Ludovici Pii ætatem Ecclesiam Romanam possedisse Comaclum, dein confirmato per donationem Ludovici I. titulo vel novo etiam addito, proculdubio ibidem dominium suum exercuisse: quod patet ex Joannis VIII. epistolis ad Berengarium Fori Julii Ducem datis & ex Danduli in Chronico Venetorum verbis relatis in dicto Conventu diei 27. Augusti: unde liquet tunc, idest annis 879. & 881. Pontifices in Comaclenses jurisdictionem exercuisse, finitimosque Principes palam putasse Comaclum ad Sedem Apostolicam pertinere, ejusque juris fuisse, atque uni ei dem licuisse cui liberet de eo opido investituram concedere.

§. 11. Investitura Comaclensis sub ementito nomine Ludovici II. conficta.

Iterum opponunt Ludovicum II. Cæsarem Comacli investituram dedisse ea ætate *Othoni* cuidam, quem Estensi familiæ adscribunt. At hæc satis confutata sunt per doctissimos viros, qui hac de re scripserunt pro Romana Ecclesia, & præsertim in libro, cui titulus: *Il Dominio temporale della Sede Apostolica sopra la Città di* Comacchio a pag. 39. 51. & 391. ubi Pigna Historias Estensium scribente hujusmodi commentum excogitatum fuisse monstratur. Et licet Rubeus hist. Ravennat. & alii id ipsum retulerint, attamen omnes ex Pigna sese id excerpsisse fatentur. Quare si constat Pignam hanc fabulam protulisse; eandem vero proximam reddere neutiquam possunt qui unius Pignæ testimonio decepti illius meminerunt. Rubeus quidem lib. 5. pag. 245. ita scribit: *Per idem tempus Hludovicus II. Cæsar anno* 854.

Othonem Eſtenſem Principem eo donaverat (COMACLO ſcilicet.) *Is cum eſſet in Gallia apud Cæſarem, ut Joannis Baptiſta Pigna teſtis eſt, Marinum filium miſit, qui & Urbis* (COMACLI ſcilicet) *poſſeſſionem acciperet, & illam adminiſtraret: qua de re commoti vehementer Veneti Baduarium Joannis Particiati, Ducis fratrem Legatum ad Pontificem mittunt, qui affirmet eam Urbem, ſi abſtrahenda ſit ab Exarchatu & Ravennatibus, qui ad Pontificem ſpectabant, ad eos magis, quam ad alium Principem pertinere, quod in antiquorum Venetorum finibus eſſet*. Hanc inſulſam fabellam Pigna Rubeo venditavit. Sed Venetarum rerum Scriptores adducti in dicto Conventu diei 27. Auguſti narrant quidem tunc Marinum fuiſſe COMACLI Comitem; ſed Pigna ſupponit Ottonem, & Marinum ejus filium ad Ludovicum miſſum. Veneti omnes Scriptores tradunt Baduarium Joannis Ducis fratrem Romam ablegatum, *ut ex largitate* Pontificis Reſpublica eum Comitatum acciperet. At Pigna Baduarium prodit miſſum, ut oſtenderet eam Urbem, tanquam poſitam in Venetorum antiquis finibus, magis ad Venetos ſpectaſſe, quam ad alium Principem. Hoc ſtultiſſimum commentum eſt, nam ſi in Venetorum finibus COMACLUM ſtatutum fuiſſet, cur illud a Pontifice Veneti petiiſſent? Cur mittebatur frater Ducis ad Romanum Pontificem, & non ad Ludovicum Cæſarem: qui inveſtituram Ottoni jam dederat? Qui hujuſmodi nugis res ſuas tuentur ſatis oſtendunt ſe deſtitutos veris juribus, quibus Eccleſiæ Romanæ certa fundamenta concutiant. Hoc unum Rubeus veriſſime dixit, ſcilicet opus fuiſſe prius eam Urbem ab Exarchatu divellere, Romanæque Eccleſiæ adimere ac Ravennatibus, qui ex permiſſione Pontificum ea potiebantur. Rubeus iis verbis *& Ravennatibus, qui ad Pontificem ſpectabant*, innuit, illam potuiſſe COMACLUM in feudum dare Venetis aut alteri Principi: unde fit Rubeum fateri tunc COMACLUM ad Exarchatum Eccleſiæ donatum & ab eadem poſſeſſum, omnino pertinuiſſe. Quod ſi Veneti COMACLUM ſubinde oppugnarunt, id contigit ut injuriam illatam Baduario per Marinum COMACLENSEM vulnerato vindicarent, quemadmodum teſtantur laudati Scriptores, quorum verba refert D. Zacagna pag. 10. num. 13. Quare Veneti COMACLUM oppugnarunt vi hoſtili, non autem jure a Cæſare habito, neque quod putaſſent Urbem ad ſe ſpectare. Etenim eam petebant in feudum a Pontifice. Probavimus ergo ab ætate Pippini ad annum uſque 881. ſpatio centum triginta fere annorum Romanam Eccleſiam Exarchatum & cum eo COMACLUM poſſediſſe; Cæſares vero nequaquam; cum neque ullus adducatur actus aut titulus eo tempore, & pateat Carolum Ma-

Magnum & Ludovicum Pium donationem Pippini confirmasse; COMACLUM nominatim Romanæ Sedi dedisse; a Pontificibus invasores compressos, eaque ætate, testimonio Rubei, jam adducti ex iis donationibus potentes Summos Pontifices factos Ravennatium proterviam confregisse atque de Exarchatu disposuisse.

§. 12.

COMACLUM tempore Caroli Crassi & successorum non pertinuit ad Regnum Italiæ.

Semel atque iterum referunt Carolum Crassum ex successoribus Ludovici Pii in diplomate Venetis dato COMACLENSES suos subditos asserere. At ubi id diploma servetur, silentio prætereunt: & quamvis innuerent, nil officeret. Loquitur enim non solum de COMACLENSIBUS, sed & de *Ariminensibus*, *Ferrariensibus*, pluribusque aliis Urbibus Exarchatus, quæ proculdubio ad Romanam Sedem pertinuerunt, & pertinent. Quare id diploma concluderet eas omnes Civitates ad Imperium pertinere quo nihil falsius dici potest. Patet ergo vel enunciativam erroneam, vel falso adductam. Præterea ab anno 888. quo mortuus est Carolus Crassus ad annum 893. Widonem & Berengarium de Italiæ Regno certantes, omnes fere Civitates Lombardiæ atque Exarchatum invasisse, & Formosum Papam ac Primates Longobardorum Legatos misisse ad Arnulphum Germaniæ Regem *enixe deprecantes, ut Italicum Regnum, & res S. Petri ad suas manus a malis Christianis eruendum adventaret*. Quæ bella, quæ rapinæ, & incursiones factæ sint in Italia & Exarchatu ab anno 893. ad annum 915. habemus ex scriptis pro dominio Sedis Apostolicæ nuper vulgatis.

§. 13.

Vvido & Lambertus confirmant sua jura Ecclesiæ Romanæ, quæ auferri & aboleri non potuerunt per tyrannos & usurpatores.

Verumtamen inter tot tantasque ærumnas, quibus Pontifices ipsi, Provinciis suis deperditis, pressi sunt, Joannes IX. in Concilio Ravennate obtinuit a Lamberto Cæsare diploma, quo is præcedentes donationes Ecclesiæ Romanæ factas & a Widone patre, item Imperatore, instauratas confirmavit. Joannes X. itidem a Berengario ad Imperium evecto, uti Dominus Zacagna pag. 11. & 12. n. 16. & 17. quod etiam refert Rubeus lib. 5. pag. 250. ad finem. Ex quo educitur, quod si quæ rapina, si quæ dispositio aut concessio Urbium ad Exarchatum pertinentium facta sit iis annis per tyrannos, Reges Italiæ atque populos rebelles ac Romanæ Ecclesiæ refractarios, ea nullius sit momenti, dum Imperatores confirmatis donationibus prædictis, palam fecerunt, verum dominium Exarchatus & COMACLI, in donationibus confirmatis inclusi, ad Pontifices solos pertinere: qui proculdubio tentantes recuperare invasa opida: & recentia diplomata donationum impetrantes, præscriptionem quamcunque sustulerunt. Berengario vita functo Imperium per XI. fere annos vacavit, usque ad ætatem Ottonis Magni, qui anno 956. ab Agapeto II.

in Italiam evocatus est. Regnum Italiæ administrarunt Hugo, dein Lotharius filius, eoque mortuo Berengarius Adalberti Eporediæ Marchio una cum Adalberto filio, qui Exarchatum universum violenter abstulerunt, & in ipsa Ravenna Regni sui sedem collocarunt ex Rubeo lib.5. pag.256. & 257. Hac ætate referunt Ministri Cæsarei Adalbertum Italiæ Regem in COMACLUM dominium exercuisse, Rudolphum itidem Italiæ Regem, cum jam dicto Hugone de Regno Italiæ certantem, ac ipsum Hugonem in diplomatibus Venetis datis, COMACLENSES *subditos* suos nuncupasse. At ubi sint hæc diplomata, & quinam ea referant, silent, neque nostrum est divinare. Immo etiamsi ea producta essent, nil Sedi Apostolicæ obesset; jam enim probatum est, prædictos integrum Exarchatum, quin universas Provincias etiam ad Imperium spectantes invasisse ac ferro cædeque vexasse: quæ si probarent COMACLUM Regni Italiæ juris fuisse, probarent etiam Ravennam & universum Exarchatum ad idem Regnum pertinuisse. Ideo res gestæ in statu tyrannidis sine titulo & jure, atque inter turbulentissimos Italiæ motus, nulli Principi titulum legitimum habenti, injuriam afferre valuerunt, iuxta notissimas juris regulas.

§. 14.

Otto I. a Jo.XII. evocatus Ecclesiæ Romanæ restituit, quæ tyranni eidem abstulerant.

Hac de re Joannes XII. successor Agapeti II. Ottonem I. Germaniæ Regem in Italiam evocavit. Hic in Imperatorem inauguratus anno 960. edito prius solemni Sacramento, quo affirmavit omnes Civitates a tyrannis & Berengario præsertim B. Petro ablatas, se restituturum, uti videre est apud Cardinalem Baronium ad annum 960. cum post biennium in Italiam venisset, Berengarium & filium oppugnavit, & Exarchatum universum ac omnes Provincias Romanæ Ecclesiæ donatas, Pontificibus restituit diplomate dato, in quo Exarchatum a Ludovico Pio & prædecessoribus suis Beato Petro donatum, COMACLUM itidem nominatim Romanæ Ecclesiæ confirmavit. Testantur idipsum vetustissimi Historici, scilicet Luitprand. histor. lib.6. cap.6. qui hæc habet de Ottone: *quod cuicunque proprium fuit restituit, dein Romam similia facturus adiit, ubi miro ornatu, miroque apparatu susceptus, ab eodem universali Papa Joanne unctionem suscepit Imperii, cui non solum propria restituit, verum etiam ingentibus gemmarum, auri & argenti muneribus ipsum honoravit.* Rheginonis chronici continuator æqualis cujusdam Synodi Ravennæ coactæ his verbis meminit: *Plurimos ibi ex Italia & Romania Episcopos coadunavit, & habita Synodo multa ad utilitatem Sanctæ Ecclesiæ adinvenit, & Apostolico Joanni Urbem & Terram Ravennatium, aliaque complura multis retro temporibus a Romanis Pontificibus abla-*

ablata reddidit, eumque inde Romam cum magna lætitia remisit. Hujus etiam rei mentionem facit Rubeus histor. Ravenn. lib. 2. pag. 261. *Conciliumque ibidem habuisse*, (Ottonem scilicet) *in quo & multæ leges per sanctæ editæ & latæ fuerunt, & Ravennam, illiusque Exarchatum, necnon & complura alia, quæ Berengarii occupaverunt, Otto Pontifici restituit, & veterem Pippini, Caroli & Ludovici restitutionem confirmavit*: quæ ipse se didicisse ait ex historico æquali Ottoni I. ideoque oculato teste.

§. 15. Otto I. Ecclesiæ Romanę confirmans diplomata Pippini, Caroli Magni & Ludovici Pii, Comaclum eidem ablatum restituit.

Ergo patet Ottonem I. confirmasse donationes Pippini, Caroli & Ludovici Pii, in quibus Exarchatum & cum eo Comaclum inclusum fuisse probavimus, & reapse Sanctæ Sedi restituisse Civitates Exarchatus per Berengarios & Adelbertum Berengarii II. filium Italiæ Reges olim ablatas, inter quas Comaclum erat, ut Rubeus lib. 5. pag. 258. ubi meminit Cymaclienses postquam Berengarius & Adalbertus Ravennàm occupaverant, eorum partes juvisse, illorumque Urbem hac de re a Venetis direptam, eversamque penitus fuisse. Pagina itaque Ottonis I. in qua confirmat donationes Carolinas, donans Ecclesiæ Romanæ Exarchatum & Comaclum præsertim, verissima esse apparet ex dictis Historicorum æqualium, qui produnt Ottonem I. restituisse Pontificibus omnia ipsis ablata, vel Ravennam & complura alia retroactis temporibus usurpata, & nominatim Exarchatum Ravennæ & multa alia opida. Quare diplomata in contrarium adducta, a Berengariis, aliisque tyrannis concessa, per hanc restitutionem & donationem Ottonis I. nulla omnino evaserunt.

§. 16. Comaclum ab Ottone I. reipsa Ecclesiæ Romanæ restitutum, non vero Adelaidi ab illo donatum.

Quæ facta sint per Pontifices Romanos post hanc Ottonis restitutionem, retulimus in Conventu diei 27. Augusti, ubi probatum fuit Leonem VIII. anno 967. dein Gregorium V. anno 995. de Exarchatu & Comaclensi Urbe disposuisse vel illum Comitatum suum asserentes, vel partem territorii aut integrum Comitatum Archiepiscopis Ravennatibus donantes; unde constat, quod etiam ex vetustissimo Historicorum testimonio habemus, Exarchatum Ravennæ, in quo Comaclum continebatur, non solum confirmatum ab Ottone I. sed restitutum fuisse Romanę Ecclesiæ. Nec est cur dicatur Ottonem I. dominium in Comaclenses exercuisse, & Adelaidem ejus uxorem fuisse Dominam Comacli, tanquam ex Regibus Italiæ descendentem. Nemo enim est, qui referat Ottonem I. sibi usurpasse dominatum Comacli: & volupe esset a Ministris Cæsareis intelligere quinam sint Historici illi, qui id affirment; siquidem æquales jam adducti contrarium omnino testantur. Recentioribus vero, si qui tamen sint, nulla adhibenda

est

est fides ubi suo Marte res fingunt & manifeste discrepant ab antiquis. Ii vero aut sunt hæretici & hostes Romanæ Ecclesiæ, qui ultro fabulas suas venditarunt ut jura Summorum Pontificum labefactarent: aut addicti Estensi familiæ, qui spissa commenta finxerunt, ut nobilissimæ genti assentationibus suis blandirentur. Quod ajunt de diplomate Venetis dato ab Ottone I. in eo neque COMACLENSES ejus *subditi* appellantur, neque COMACLUM Imperii juris asseritur: quod tamen Adversarii affirmare non dubitant. Hoc quidem verissimum est Adelaidem fuisse Burgundiç Regis filiam quam Lotharius Italiæ Rex viduam reliquerat, & Berengarius ne Ticinum dotalem Urbem repeteret, conjecit in carcerem testimonio Rubei lib.5. pag.257. unde patet Adelaidem non COMACLUM, sed Ticinum possedisse, & Regnum Italiæ nequaquam habuisse: nam Lotharius id Regnum uxori largitus non fuit, neque largiri poterat. Sed è contrario illud statim post mortem Lotharii Berengarius administravit. Nec quicquam obstat Adelaidem plura bona in COMACLENSI territorio possedisse; ut eruitur ex ejus donatione Monasterio Sancti Salvatoris Papiæ, in qua enunciantur quidem bona, curtes & prædia COMACLI posita, at non Urbs ipsa & Comitatus COMACLENSIS, ut videre est in Bullario Cassinensi to.2. const.52.

§. 17. Adelaides possedit COMACLUM largitione Gregorii V.

Ex una itaque Bulla Gregorii V. patet Adelaidem habuisse Comitatum COMACLI, at non uti Dominam, sed ad vitam & *ex largitate* Gregorii V. consanguinei sui, qui Adelaide mortua, eundem Comitatum donavit Ecclesiæ Ravennati, quem utique non donasset, neque Adelaidis mentionem injecisset, si putasset eam fuisse COMACLI Dominam, & ad Romanam Ecclesiam post ejusdem mortem Adelaidis Comitatum COMACLENSEM non rediturum. Eodem pacto si Gelasius II. si Calixtus II. Honorius II. Innocentius II. ceterique Romani Pontifices, qui iisdem successerunt ad Alexandrum IV. usque hanc donationis paginam confirmarunt,& Ravennatibus Archiepiscopis eum Comitatum concesserunt, quemadmodum relatum est in Conventu diei 27. Augusti; non est cur amplius vocetur in dubium, Gregorium V. de hoc Comitatu disposuisse ac disponere potuisse: non enim Archiepiscopi Ravennates, qui summo studio has paginas obtinuerunt, eaque ætate potentes erant, nugatoriam concessionem impetrassent, neque tam stulti fuissent, ut a Romanis Pontificibus donum rei alienæ expostulare voluissent. Porro si Otto I. Adelaidis conjux in diplomate suo Romanæ Ecclesiæ donaverat Exarchatum, confirmatis donationibus per Ludovicum Pium & successores factas: & inter Vrbes Exarchatus ad Sedem Apostolicam

licam pertinentes & donatas expresserat COMACLUM, palam est eam Vrbem ad Pontifices pertinuisse: & Ottonem I. agnovisse illam non ad Adelaidem uxorem suam, sed ad Ecclesiam spectasse: neque urbem COMACLENSEM Regni Italiæ, sed Exarchatus juris fuisse: quod argumentum, uti clarissimum, nullis ambagibus oppugnari poterit.

§. 18. Diplomata Ecclesiæ Ravennati ab Imperatoribus concessa, perperam *Investituræ* appellantur.

In parietem caducum inclinant dum Ottonem III. Ottonis I. successorem anno 999. Leoni Archiepiscopo Ravennati COMACLI *investituram* dedisse opponunt: itidem & aliam Friderico Archiepiscopo, qui Leoni successerat. Hæc diplomata, quæ refert Gulielmus Valla *de Exarchatu*, si vera sunt, confirmant tantummodo Ecclesiæ Ravennati bona & Vrbes, quæ per antiquas paginas Imperatorum, Pontificum & Regum illi fuerant donatæ & oblatæ. Immo in illo anni 999. Otto confirmat ea omnia, quæ *a Joanne Papa ad ipsam Ecclesiam sunt oblata & perpetualiter donata*. Quamvis inter bona dictæ Ecclesiæ Otto recenseat COMACLI Comitatum, nusquam tamen in diplomate legitur, eum Comitatum donatum eidem Ecclesiæ ab Imperatoribus, vel ab ipso Ottone, cum tamen è contrario in Bulla Gregorii V. pateat Pontificem eum Comitatum *ex gratuita largitate*, Ecclesiæ eidem donasse. Quare Ottonis III. pagina perperam charta *Investituræ*, vel *concessionis* appellatur, dum revera est privilegium Imperiale confirmans præcedentes titulos habitos a privatis, a Pontificibus, a Regibus, & a quibuscunque aliis: quæ privilegia illa ætate, & inter turbulentissimos Italiæ motus obtinebant Ecclesiæ a Cæsaribus, ut patrocinio bona sua tuerentur, ne Vrbes sibi subjectæ deficerent, sed facilius sese in devotione continerent. Quamobrem eruditi omnes docent hæc privilegia, quorum tunc infinitus fuit numerus, nequaquam fuisse *concessiones*, aut *investituras*, sed expetita & data dumtaxat pro Ecclesiarum, eorumque bonorum defensione & tutela, & si secus foret fatendum esset, bona, curtes & prædia enunciata in iisdem & aliis diplomatibus, quorum magna passim fuit copia, pervenisse ad Ecclesias ex concessione Imperatorum; cum tamen ex eorum lectione passim pateat, pleraque a privatis Civibus donata fuisse. Quæ cum ita sint & jam constet COMACLUM a Ludovico Pio & Ottone Magno avo Ottonis III. & ab Ottone minore ejus patre, testimonio coævi Rheginonis chronici continuatoris, & Henrici II. qui in sua Bulla aurea donationis factæ ab Ottone filio superius meminit; si inquam patet COMACLUM Ecclesiæ Romanæ fuisse donatum, atque a Pontifice Gregorio V. Ravennati concessum; exploratum fit per hanc Ottonis paginam eum Comitatum

tum non *concessum* aut *datum*, sed confirmatum, ut prævia hac confirmatione populi intelligerent Ravennates Præsules præsidium & tutelam Imperialem impetrasse. Quamobrem in iis diplomatibus confirmatas scimus Cerviam, pluresque Civitates & opida Exarchatus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinuisse & pertinere nemo prudens negaverit. Præterea Otto jurejurando promisit Joanni XV. Pontifici restituere *quidquid de Terra Sancti Petri* ad suam potestatem venisset. Hoc habetur ex Chronico Reicherspergensi iis temporibus scripto, quod publicavit Gewoldus homo Germanus. Non ergo credendum est Ottonem III. solemni Sacramento posthabito concessisse Ravennati Ecclesiæ, quæ pater, quæ avus Romanæ Ecclesiæ donaverant & ipse restituere Sacramento spoponderat, quatenus ad suam potestatem venissent.

§. 19. Fabulosum diploma Ottonis III. a Goldasto pro vero vulgatum.

Ceterum aliud diploma, quod Goldastus & alii eidem Ottoni III. tribuunt, in quo donationes Ecclesiæ Romanæ fictæ, suppositiciæ vel revocatæ dicuntur, est merum commentum, uti probat Baronius ad annum 1191. §. 54. & Marcus Velserus Augustanus Senator apud Gretserum in Apologia Baronii pag. 426. Et plene id confutatur in libro, cui titulus *Il Dominio temporale della Sede Apostolica sopra la Città di* COMACCHIO pag. 382. & 383. Eandem fabulam etiam explodunt diplomata Imperatorum, qui successerunt Ottoni III. confirmantia donationes præfatas a Carolo, Ludovico Pio, Ottone Magno, & aliis Prædecessoribus Romanæ Sedi factas. Hæ inquam paginæ donationes a Prædecessoribus Ottonis III. factas verissimas fuisse affirmant, ideoque commentum a Goldasto magni factum prorsus evellunt. Hinc probatur Ravennates Archiepiscopos tunc ex concessione Romanorum Pontificum COMACLUM tenuisse, & Romanam Ecclesiam per organum eorumdem, qui eam pro suprema Domina agnoscebant, eumdem Comitatum possedisse.

§. 20. Henrici II. diploma pro Ecclesia Romana minus recte oppugnatum.

Anno 1013. Henricus II. Benedicto VIII. Pontifici diploma largitus est plane simile illis Ludovici Pii & Ottonis Magni, in quo Exarchatum & cum eo COMACLUM speciatim Sedi Apostolicæ donavit, confirmavitque nominatim donationes Pippini, Caroli Magni, Ludovici Pii, Ottonis I. & II. quod diploma referunt etiam Goldastus pag. 227. & plures alii per D. Zacagnam adducti pag. 20. num. 28. Sed ajunt Henricum II. anno 1017. *investituram* dedisse Arnaldo Ravennati Archiepiscopo ex Rubeo lib. 5. pag. 275. Verum Rubeus exponit actum nihil prorsus probantem: non enim adducit diploma Henrici, sed solum Tabulas quasdam vetustas & mutilas Ecclesiæ Ravennatis, in quibus memo-

memoratur hæc *investitura*, & quidem non facta ab Henrico, sed a quodam Pellegrino Cancellario Henrici sine mandato & Bulla aliqua Imperatoris. Si hæc est *investitura* Henrici & tanti ponderis, ut potuerit evertere donationem ab eodem Ecclesiæ Romanæ paulo ante jam factam; si hæ Tabulæ mutilæ probant Pellegrinum fuisse Cancellarium Henrici II. & potestatem etiam habuisse *investiendi* de rebus jam Romanis Pontificibus donatis: & si mandatum speciale Henrici ad id agendum Cancellario datum fuisse affirment, ad eos inquirere pertinet qui hæc & similia contra res clarissimas adducere satagunt. Illud etiam notandum est, in eo actu, quem *investituram* appellant, non legi expressum Comitatum COMACLI, sed Bononiensem, Corneliensem, Faventinum, Cerviensem, & Ravennatem, quos inclusos in donationibus Ludovici, Ottonum & ejusdem Henrici extra controversiam est. Præterea actus idem refertur ad præcedentem titulum a Sede Apostolica concessum Ravennatibus Præsulibus: investitus enim in eo asseritur Arnaldus de prædictis Comitatibus, *aut per eum præcepti paginam, sive per præcepti paginam suprascripti Benedicti* (idest Benedicti VIII.) *aut antecessorum, aut per anteriorem donum aut investitionem Domini Henrici*: ex quibus colligitur actum hunc inniti concessionibus & titulis præcedenter Ecclesiæ Ravennati concessis a Benedicto VIII. vel ejus prædecessoribus, quos constat Comitatus jam numeratos Ravennatibus Archiepiscopis dedisse, quemadmodum superius retulimus: unde hæ Tabulæ nil prorsus concludunt, cum involuant titulos jam datos vel per Pontifices Romanos vel per Imperatores: quin potius probant Comitatus ibi designatos ad Ravennatem Ecclesiam pervenisse ex largitate Pontificum, dum Henricus ipse palam fecerat in suo præcedenti diplomate eosdem Comitatus nominatim ibi descriptos ad Romanam Ecclesiam pertinuisse, & pertinere.

§. 21. Diplomata Henrici IV. male adducta contra jura Sedis Apostolicæ.

Ejusdem momenti contra Apostolicam Sedem est pagina Henrici IV. quem ajunt Ravennatem Ecclesiam de COMACLENSI Comitatu anno 1063. investivisse. Rubeus lib. 5. pag. 296. qui hunc actum referens, non appellat *investituram*, sed confirmationem his verbis: *Sequitur annus 1063. quo Henricus Cæsar Ravennati Ecclesiæ & Henrico ejusdem Archiepiscopo bona & jura quotquot erant, confirmavit*. Notanda illa verba *quotquot erant*, quæ innuunt Henricum novum non dedisse titulum; sed antiquum, prout is ab aliis sive Pontificibus sive privatis habitus fuerat, confirmasse. Quare actus referendus est ad privilegia, quæ tunc temporis Ecclesiæ a Cæsaribus obtinebant, ut sub Impera-

torum patrocinio & tutela sua bona servarent, uti superius dictum est. Hoc luculentius apparet ex actu per Rubeum relato; in quo legitur expressus *integer portus Volanæ & litus usque ad Portum Cerviensem*, quæ donata Ravennati Ecclesiæ iisdem fere verbis scimus per Gregorium V. anno 996. teste eodem Rubeo lib.5. pag.271. Designantur etiam plures Comitatus, pluresque Exarchatus Urbes & Comitatus ipse COMACLENSIS, qui omnes ad unum donati fuerunt dictæ Ecclesiæ ab eodem Gregorio V. *ex gratuita largitate*, ut in Bulla apud Ughellum tom.2.pag.349. & alios. Item confirmata quæ Petro Diacono & a privatis personis data erant, & Curtes ac prædia privata, quæ habita non erant a Cæsare, aut ex investitura Cæsarum. Hinc ille actus, quem *investituram* dictitant, fuit simplex *privilegium*, nullum prorsus dominium aut feudi jus præferens. Præterea notissimum est, tunc Henricum schismaticum fuisse, hostemque Romanæ Ecclesiæ, & Cadolao Pseudopontifici adhæsisse: Archiepiscopos quoque Ravennates id schisma fovisse, & refractarios factos, in excidium Romanæ Sedis conspirasse. Quare actus præfatus, qui perperam pro *investitura* vulgatur, ne quicquam Sedi Apostolicæ obesset ex notissimis juris principiis, utpote factus schismatis ac tyrannidis tempore, eaque ætate, qua Henricus in universam fere ditionem Pontificiam irruerat.

§. 22. Diplomata per Pontifices concessa Ecclesiæ Ravennati post privilegia Henrici IV.

Schismate prædicto anno 1118. extincto, Gelasius II. qui jure metropoleos Ravennatem Ecclesiam & Urbibus ei donatis spoliaverat, illam integravit edita Bulla, in qua ei confirmavit Exarchatum, & Comitatum COMACLENSEM quod & fecerunt, uti diximus, Calixtus II. anno 1121. Honorius II. anno 1125. & Innocentius II. anno 1133. his verbis: *Confirmamus vobis Exarchatum Ravennæ, qui Romanæ Ecclesiæ juris est*. Futile autem est objicere hæc facta fuisse Archiepiscopis non petentibus; nam Rubeus ipse scribit id peractum instante & pœnitente schismatis, Archiepiscopo & si quæ objiciuntur quicquam probarent, utique falsa aut incerta essent omnia Imperialia & Pontificia diplomata, nisi ostenderentur scripta fuisse de mandato speciali impetrantis: quod quantum res priscas & publicas confundat, nemo non videt.

§. 23. Diplomata Friderici I. excutiuntur & refutantur.

Opponunt etiam Fridericum I. anno 1160. non absimilem *investituram* dedisse, & anno 1177. COMACLENSES *suos subditos* indigitasse. His respondimus in Conventu diei 27. Augusti ubi ostendimus hæc facta fuisse schismatis tempore, quo censuras in eum vulgaverat Alexander III. & revocata solemniter per eumdem Fridericum in pactis initis Venetiis cum eodem Summo

Summo Pontifice. Jam vero addimus hæc diplomata suppositicia probari per Scriptorem libri Italici cui titulus: *Dominium Sanctæ Sedis in* COMACLUM pag. 174.& per D. Zacagnam pag.27. Sed quamvis etiam hæc Friderici pagina esset vera, neutiquam *investituræ* nomine appellari unquam posset,quippe esset simplex privilegium concedi solitum Ecclesiis pro earum tutela. Rubeus lib.6. pag.344. sic scribit: *Eique Fridericus* (Archiepiscopo scilicet) *omnium Archiepiscoporum Ravennatum, quæ ad eum diem habuerant privilegia, Episcopatus, omnia denique, quæ tributa illis antiquitus fuerant, & juste possiderentur confirmavit.* Inde pag. 345. referens fragmentum diplomatis, subdit, in eo confirmatam *investituram Ravennatis Archiepiscopatus*: quod quidem ad Imperatorem non pertinuisse, satis compertum est, nam ipse non poterat dignitatis ecclesiasticæ *investituram* dare; dedit tamen, quia schisma fovebat.

§. 24. Ottonis IV. acta schismatica perperam in Romanam Ecclesiam adducta.

Addunt Ottonem IV. simile diploma *investituræ* edidisse, in quo Ravennati Ecclesiæ COMACLUM datum legitur. At satis est inspicere prædictam paginam, ut intelligatur eam continere privilegium dumtaxat simile jam relatis pro tutela & patrocinio bonorum Ecclesiæ. Verba Rubei lib.6. pag.374. hæc sunt. *Ab Ottone etiam Cæsare tabulas impetravit Augustales, quibus prærogativæ omnes ac privilegia, jurisdictionem, ditionemque Ecclesiæ Ravennatis spectantia, singulis numeratis locis & confirmabantur, & augebantur.* Ergo hæ tabulæ, quibus confirmantur privilegia jam concessa Ravennati Ecclesiæ a quibuscunque vel Principibus vel Pontificibus, non probant Comitatus & Civitates ibidem descriptas juris Imperii fuisse, quemadmodum invictis rationibus centies probavimus. Porro Otto IV. in juramento, quod paulo ante Innocentio III. præstiterat, declaraverat Exarchatum Ravennæ, in quo palam est inclusum fuisse COMACLUM uti toties probavimus, ad Romanam Ecclesiam spectare: quod juramentum refert D. Zacagna pag. 33. num. 46. Quare etiamsi post paucos menses concessisset Archiepiscopo Ravennati Ravennam & singulas fere Urbes Exarchatus, quæ in ejus diplomate exprimuntur, hoc perperam fecisset & contra jusjurandum & sacramentum adeo solemne. Et cavendum est ab iis, quæ exadverso exponuntur, quasi Otto & alii præstitis jam juramentis Romano Pontifici solum COMACLUM Ravennati Ecclesiæ donaverint:nam in diplomatibus omnibus,nedum COMACLUM,sed & Ravenna, Cervia, Faventia, Forolivium, aliæque Exarchatus Urbes designantur. Hoc ideo contigit,quod hostes facti Romanæ Ecclesiæ, universam fere ejus ditionem invaserint. Hac de re Innocen-

nocentius III. rescissis omnibus, quæ post juramentum gesserat Otto IV. qui occupatis pluribus Urbibus & Provinciis universam fere ditionem Romanæ Ecclesiæ invaserat, Fridericum II. ab Imperii Proceribus eligi curavit. Hic dato diplomate apud Egram anno 1213. res & Urbes Romanæ Sedis ab Ottone usurpatas restituere promisit. Simile dein anno 1218. Honorio III. Pontifici edidit, in quo Exarchatum universum a Ludovico Pio Ecclesiæ donatum, eidem restituit, donavit iterum & confirmavit, nimirum etiam COMACLUM in donatione Ludovici Pii diserte in Exarchatu inclusum: quod & fecisse Principes Imperii, qui diploma Friderici confirmarunt, sæpe numero dictum est in Conventibus, qui præcesserunt. Itaque futile est referre paginam Ottonis IV. concessam Ravennatibus Præsulibus non quidem, ut declararet Urbes ibi descriptas, & COMACLUM non fuisse Ecclesiæ donatas, ut perperam dicitur, sed ut hostiles manus injiceret iis, quæ olim Imperatores dederant Pontificibus quæque nominatim expressa erant in donationibus eorum & in ipso juramento, quod Otto IV. ante præstiterat.

§. 25. Acta Friderici II. contra jura Sanctæ Sedis male adducta.

Nec est cur objiciatur Fridericum priusquam secundum diploma dedisset Honorio III. privilegia Ravennatis Ecclesiæ anno 1220. confirmasse,& anno 1231. COMACLENSES piscatores sub clientela sua & Imperii recepisse. Quandoquidem Friderici pagina a ceteris jam relatis non discrepat, in quibus non conceduntur, sed confirmantur bona, quæ Ravennas Ecclesia a Romanis Pontificibus, aut ab aliis obtinuerat. Rubeus lib.6. pag.382. hæc habet: *illi obviam Simeon Archiepiscopus processit, ab eoque Bononiæ tertio nonas Octobris eorum omnium confirmationem impetravit, quæ Valentinianus Cæsar Joanni Archiepiscopo, & multi præterea cum Romani Pontifices, tum Cæsares Ecclesiæ Ravennati dono dederant,quibusque sigillatim muneratis.* Quare hoc diploma, frustra *investitura* Imperialis appellatur. Verum idem Simeon, qui sciebat Exarchatum & Urbes ejusdem ad Pontifices pertinere, ab Honorio III. petit literas,quibus Civitates Exarchatus olim per Præsules Romanos suæ Ecclesiæ donatæ confirmarentur. Has literas prodit Rubeus lib.6. pag.389. & in eis legimus confirmatum Comitatum COMACLENSEM, pluresque alias Urbes, salva potestate Romanæ Ecclesiæ.Easdem Honorii literas Theodericus Archiepiscopus sibi confirmari etiam impetravit a Gregorio IX. iisdem fere verbis anno 1228.uti Rubeus ipse scribit lib.6. pag.398. easque refert etiam Ughellus tom.2.pag.378. & Rubeus memorat Ravennates Pontificibus tunc paruisse non obstante schismate Friderici II.Exarchatum itidem Ravennati Ecclesiæ confirmavit

mavit

mavit Alexander IV. anno 1255. testimonio Rubei lib. 6. pag. 430. Tabulæ vero Friderici II. in quibus COMACLENSES clientes Imperii vocantur, manifestæ falsitatis convincuntur a Defensoribus jurium Sedis Apostolicæ in COMACLUM. Ceterum palam est anno 1239. Ravennates, qui prius Friderici II. schismatici partes sequuti fuerant, ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam rediisse, & fidelitatem Cardinali Legato jurasse, quod tradit Matthæus Paris scriptor æqualis hist. Anglic. pag. 521. Sequenti itidem anno id ipsum fecit Ferraria expugnato Salinguerra, teste Rubeo lib. 6. pag. 415. & anno 1248. Exarchatus universus, ut prodit idem Rubeus lib. jam adducto pag. 421.

§. 26. Tituli Ecclesiæ Romanæ in COMACLUM clarissimi & effectum sortiti, non vero Cæsarei, qui nunc jactantur.

Quare patet titulum Ecclesiæ Romanæ esse clarissimum, nec posse dici donationes Cæsarum, effectu caruisse, nam ipsa earum vigore Exarchatum tenuit & COMACLUM possedit, illud donando & de eo disponendo favore Ravennatis Ecclesiæ: ac alia gerendo, quæ ad exercitium supremæ jurisdictionis pertinent, uti jam toties probavimus. Cæsares vero neque *investituras* COMACLI, neque actum ullum jurisdictionis in eam Civitatem exercuerunt, nisi tempore illo, quo hostes Pontificum facti Exarchatum, ejusque Urbes & COMACLUM invaserunt, nimirum schismatis tempore, spretisque juramentis, quibus coram Deo affirmaverant eas Urbes ad Romanos Pontifices pertinere. Immo schismate extincto damnarunt quæ contra jura omnia patraverant, vel restituentes Civitates ablatas, vel eas se restituturos promittentes.

§. 27. COMACLENSES in pactis Venetorum non dicuntur spectare ad Reges Italiæ.

Nunc operæ pretium est respondere pactis, quæ jactantur inita inter Italiæ Reges vel Imperatores, ac Venetos, necnon privilegiis iisdem concessis: in quibus traditur enunciari COMACLENSES eorumdem Regum, vel Cæsarum dominio subesse. Hæc pacta & privilegia referuntur in Chronico Andreæ Danduli, unde eadem excerpta esse & redacta in unum Codicem testatur Petrus Justinianus hist. Venet. lib. 13. *duo* (inquit) *supra viginti immunitatum privilegia recitat Laurentius Monachus a Carolo I. usque ad Fridericum II. ex Andreæ Danduli chronicis collecta*. Contrectavimus Danduli Chronicon, in quo pacta tantummodo inita cum Lothario I. Carolo Crasso, & Ottone III. sigillatim referuntur, neque in istis nomen COMACLI legere licuit. Cetera vero pacta parce enunciantur, nulla COMACLENSIUM mentione habita. Unum tantum diploma Henrici VI. anno 1110. editum ibidem reperitur, quod etiam prodit Nicolaus Crassus in notis ad Jannotium de Repub. Venet. pag. 479. ubi non uni COMACLENSES, sed & *Ferrarienses*, *Ravennates*, *Pisaurenses*, *Cesenatenses*, *Anco-*

Anconitani & aliæ Romanæ Eccleſiæ Urbes, ad Regnum Italiæ pertinere aſſeruntur. Hoc diploma utpote datum a ſchiſmatico Imperatore, qui pene univerſam ditionem Pontificiam invaſerat, quique ſcriptis factiſque Pontificium nomen ſupprimere conabatur, ad Regnum Italiæ ſpectare jactans Urbes, quas Ludovicus I. Otto I. Henricus II. aliique Cæſares ad Exarchatum vel Pentapolim, necnon ad Romanam Eccleſiam pertinere, ſolemni diplomate edixerant, obeſſe non potuit Sedi Apoſtolicæ, quemadmodum neque alia diplomata iſti ſimilia, ſi quæ unquam adducentur.

§. 28. Imperatores nullum nunquam dominium ſibi reſervarunt in ditiones Eccleſiæ Romanæ.

Hinc nil prodeſt aſſerere, Imperatores non obſtantibus donationibus diſpoſuiſſe de Comaclo, quaſi putarint jura ſupremi dominii ſibi reſervaſſe; nam, uti in Conventibus præcedentibus dictum eſt, hæc reſervatio non legitur in ullo diplomate, neque in illo Henrici II. apud Goldaſtum, qui non tacuiſſet talem reſervationem, neque in aliis Ottonis IV. Friderici II. Rudolphi I. & ſucceſſorum, qui utique jura ſupremi dominii ſibi reſervaſſent, ſi Ludovicus Pius & Otto Magnus id ipſum feciſſent. Atque ideo non eſt cur credatur potius Pagio, Sigonio, & ſimilibus, qui referentes Ludovici Pii variantes paginas immutatis verbis *in noſtra* ditione, loco *veſtra*, hanc reſervationem ibi factam fuiſſe opinantur; quando & in Codice Cencii Camerarii nempe Honorii III. ante quingentos annos ſcripto & in Tabulario Vaticano adhuc ſervato, cujus ſæpenumero meminit Baronius, legitur *in veſtra* (ideſt Pontificum) *ditione permaneant* idemque exprimitur in Bulla aurea Henrici II. apud Goldaſtum pag. 227. quæ utpote ſcripta tempore proximo paginis Ludovici I. & Ottonis I. ſecundum donationem ab iiſdem factam, evincit in pagina Ludovici non *noſtra*,ſed *veſtra* ſemper lectum fuiſſe:& communis juriſconſultorum ſententia docet donationes Urbium factas Eccleſiæ Romanæ transferre ipſo jure etiam ſupremum dominium. Dedecet enim Romanam Eccleſiam alteri fidelitatem jurare, matremque filiis ſubeſſe. Cur vero hæc quæſtio proponatur,aſſequi non valemus, nam etſi in donationibus ſupremum dominium reſervatum fuiſſet: quod falſum eſt; attamen utile, cum omnibus regalibus majoribus fuiſſet in Eccleſiam Romanam translatum, & quidem in Eccleſiam, quæ nunquam moritur, ideoque perpetuo ab Imperio abdicatum fuiſſet. Quare nequaquam potuiſſent Imperatores id ipſum dominium poſtea concedere Eccleſiæ Ravennati, vel aliis, neque illud exercere, ut Pontifices ſpoliarent & eaſdem Urbes in feudum aliis largirentur. Petrus de Marca vir alioquin Romanæ Sedi non valde addictus lib.3.

lib.3. de Concord. cap.11. §.12. de hujusmodi somniata dominii reservatione hæc habet. *Ludovicus Pius nihil sibi auctoritatis in Romanam Provinciam, neque in cæteras reservavit, præter solas preces, & intercessionem suam erga Pontificem, si quis a Judicibus oppressus ad se confugeret.*

§. 29. Ludovici Pii diploma iterum ab objectionibus vindicatur. Corsica & Sardinia olim juris Ecclesiæ Romanæ.

Adducitur Pagius, qui donationem Ludovici Pii falsitatis accusat. Verumtamen satis est legere omnes donationes & diplomata Imperatorum, ut Pagii commentum rejiciatur. Otto Magnus Henricus II. Otto IV. Fridericus II. Rudolphus I. & alii hanc Ludovici Pii donationem ut veram expresse confirmant, ut latius in Conventu diei 4. Augusti retulimus. Quæ iterum repetuntur ad probandum *Corsicam* atque *Sardiniam* nusquam fuisse Romanæ Ecclesiæ, cum tamen eæ insulæ in donationibus Cæsarum exprimantur, omitti poterant, cum in aliis Conventibus & præsertim in illo diei 11. Septembris hac de re jam satisfecerimus objectis. Nunc addimus ex epist. 41. Gregorii VII. lib. 1. & 4. lib. 5. patere easdem insulas spectasse ad Ecclesiam Romanam. Eodem pacto in Conventu diei 25. Septembris, respondimus iis, quæ nunc repetuntur de Adria & Gabello. Cetera vel sunt levissima, vel ambagibus involuta aut ab Historicorum dictis longe aberrantia, vel hausta ex sordibus hæreticorum, Romanæ Ecclesiæ hostium: aut tandem nullius auctoritati innixa & eousque a vero absona, ut nullam omnino coram æqui & boni æstimatoribus responsionem mereantur.

RELA-

RELAZIONE

Di alcune risposte date in voce da Monsignor Corradini al Signor Senator Caroelli sopra molti equivochi, e contradizioni di testimonianze di Storici e di fatti concernenti la controversia del possesso di COMACCHIO prima del diploma di Ridolfo I.distesa dal Signor Cardnial Gozzadini; ove si dimostra, che Anastasio Bibliotecario nelle vite de' Sommi Pontefici, e Girolamo Rossi nelle storie di Ravenna hanno sempre asserito, che COMACCHIO era nell' Esarcato, e che fu donato alla Santa Sede e da lei posseduto: e che dalla parte contraria si asseriscono molte cose non corrispondenti agli Storici e senza veruna prova, e che si tornano a ridire per nuove le cose già più volte rigettate.

§. 1.

Nel Congresso tenuto in casa del Signor Cardinal Spinola Camerlingo il dì 9. Ottobre 1710. intervennero i Signori Cardinali Spinola Paracciani Gozzadini Il Signor Marchese di Priè Monsig. Corradini Il Signor Senatore Caroelli.

MOnsignor Arcivescovo Corradini ha replicato alle nuove risposte date in voce dal Signor Senatore Caroelli nella seguente forma.

§. 2.

Pippino, e non Aistulfo donò COMACCHIO alla Santa Sede: il quale fu incluso nella donazione di Pippino.

Disse dunque, che dalle opere di Anastasio e di Girolamo Rossi resta provato quanto è stato già esposto, cioè, che Pippino donò, e non già Aistulfo, come per lo contrario asserisce il detto Signor Senatore. Che COMACCHIO fu *incluso* nella donazione di Pippino fatta in Carisiaco, ove era donato *l'Esarcato*: la qual donazione fu poi dal medesimo Pippino confermata in Roma,dappoichè Aistulfo ebbe restituito COMACCHIO, che dianzi aveva occupato: e che vi espresse in particolare COMACCHIO, e che chi ha gli occhi, e legge il contesto di tutta la Storia senza voler leggere a suo modo, riconosce manifestamente questa verità più chiara del Sole e superiore a tutte le sottigliezze contrarie. Aggiunse, che tutte le citazioni d'Anastasio si leggono al contrario di quello, che vengono allegate. Che al Rossi si fa dire quello,che mai non si è sognato di scrivere: ed in somma,che in tutto il corso de' ragionamenti si fanno strane violenze alle parole degli Autori, e si suppongono molte cose, che niuno ha mai dette. Anastasio dice, che dopo restituito COMACCHIO da Aistulfo, Pippino mandò Fulrado Abate a prendere il possesso di tutte le suddette Città restituite dal medesimo Aistulfo, tra le quali era COMACCHIO, e che le consegnò al Pontefice. Questo si nega dal Signor Senator Caroelli: e pure basta

basta aprire il testo per riconoscere la verità. Anastasio aggiunge il nome di tutte le Città consegnate a S. Pietro, e alla Chiesa Romana *perenniter possidendas & disponendas*: e tra esse nomina Comacchio. Ma il Signor Senatore dice, che ciò non si legge: e pure il testo è letterale non ostante la particola *seu*, sopra cui egli si ferma a sottilizzare quando in quei tempi ella significava il medesimo che *&*, conforme si è dimostrato: e così la prende il Rossi, il quale dice, che Fulrado prese possesso di Gubbio e di Comacchio: e così dee intendersi, perchè Anastasio attesta, che Comacchio fu restituito da Aistulfo a Pippino; e che poi da Pippino con tutte le Città restituite fu donato alla Chiesa. Anastasio scrive, che i Legati di Ravenna si lamentavano in Roma, che Desiderio Rè de' Longobardi avea levato Faenza il Ducato di Ferrara e Comacchio *de Exarchatu Ravennate, quas Pippinus, & ejus filii Carolus & Carolomannus B. Petro concedentes obtulerant.* Questo prova, affermarsi da Anastasio, che Comacchio era dell' Esarcato di Ravenna, e donato da Pippino, da Carlo e da Carlomanno suoi figli. Ma il Signor Senatore asserisce, che mai Anastasio non dice, che Comacchio fosse dell' Esarcato o nella donazione di Pippino: e ritorna alla sua critica del *seu*. Chi ha scritto per la Sede Apostolica, cioè il Sig. Abate Fontanini pag. *333*. prova, che prima della restituzione e donazione di Pippino la Sede Apostolica possedea l'Esarcato e le Provincie dipoi restituite: e il Sig. Senatore col parere del Conringio, cioè d'un Luterano, pensa provare il contrario quando le prove opposte non consistono in pensieri e pareri, ma in lettere di Papi e nell' autorità degli Storici di quei tempi. E poi nulla importa per la questione presente, che Pippino restituisse o donasse, mentre basta la donazione.

§. 3.
Comacchio espresso ne' diplomi dati alla S. Sede come realmente proprio di essa. Ferrara, e Comacchio Città dell' Esarcato e della Chiesa secondo Anastasio.

Sono stati portati i diplomi di Lodovico Pio, di Ottone il Magno, di Enrico il Santo, e di Ridolfo I. per prova di quanto dice Anastasio; cioè, che Comacchio fosse donato da Pippino e da Carlo Magno alla Santa Sede: e che fosse una Città dell' Esarcato; mentre Lodovico Pio confermando la donazione fatta da Pippino e da Carlo Magno, dona anch' egli l'Esarcato; e poi colla particola *Idest* esprime le Città del medesimo e in ispecie Comacchio. Così pure fanno Ottone I. Enrico II. e Ridolfo I. Ma il Signor Senatore afferma, che queste donazioni non fanno altro che camminar col supposto, che Pippino donasse Comacchio: sottigliezza troppo astratta e contraria alla verità, perchè chi conferma una donazione ed esprime le cose donate, confessa, che le cose espresse sono incluse nella donazione con-

M fer-

fermata. Anastasio, come si è detto, narra, che Desiderio avea levato dall' Esarcato Ferrara e COMACCHIO: e il Signor Senatore asserisce, che mentre il medesimo nomina Ferrara Città, che secondo lui, mai non fu dell' Esarcato, non ha detto tal proposizione. La proposizione d'Anastasio è letterale: e Ferrara fu sempre Città dell' Esarcato, così espressa da Anastasio e nelle donazioni di Lodovico, Ottone, ed Enrico: e dal Rossi, e da tutti gli Storici, nè mai il Sig. Zacagna nel num. II. ha detto, come si pretende, che Ferrara non fosse dell' Esarcato. Si rimette solo ivi ad Anastasio, che racconta il possesso preso da Fulrado Abate di molte Città dell' Esarcato in tempo di Pippino, tra le quali non vi è descritta Ferrara, bensì COMACCHIO. Questo non dee recar maraviglia, perchè Anastasio dice, che le chiavi delle porte furono date da diverse Città dell' Esarcato, cioè non da tutte. Basta poi, che il medesimo Scrittore narrando ne' tempi di Carlo Magno ciò che fece Desiderio, narri, che il medesimo avea tolto all' Esarcato di Ravenna *Ferrara*, e COMACCHIO, per mostrare, che questo Scrittore prova, che anche Ferrara era Città dell' Esarcato.

§. 4.

Il Rossi parla sempre di Ferrara e di COMACCHIO, come di Città dell' Esarcato, e non del Regno d'Italia.

Il Rossi al lib. 4. pag. 222. fino al fine numera tutte le Città dell' Esarcato, e tra esse *Ferrara*, e COMACCHIO: e dice, che Pippino le restituì e donò al Papa dopo che Aistulfo le aveva restituite a Pippino. Ma il Signor Senatore pretende, che ciò non dica; anzi che scriva, che l'Imperadore d'Oriente mandasse Ambasciadori ad Aistulfo, perchè restituisse le Città suddette. E'vero, che il Rossi all'anno 752. così scrive: *Aistulphus cum hybernaret Ravennæ in sequenti anno excepit Joannem Silentiarium a Constantino Imperatore Byzantio hortatu Pontificis missum, cui & Pontifex Paulum fratrem suum conjunxerat. Ii Regem Pontificis, & Imperatoris nomine rogarunt, ut quæ ceperat opida restitueret*: dal che si prova, che tanto il Papa, quanto l'Imperadore, al quale era egli ricorso per ajuto, chiesero la restituzione: sicchè il Papa anche avanti la donazione di Pippino avea jus di domandarla. Ma poi il Rossi afferma, che non avendo mai l'Imperadore mandati ajuti, il Papa si voltò a Pippino e ad esso chiese ed ottenne la restituzione del medesimo. Quando il Rossi porta qualche parola che paja favorevole a' discorsi del Signor Senatore, allora è un Evangelista. Ove poi con verità inerendo a' documenti incontrastabili, dice, che COMACCHIO era dell' Esarcato, e Città donata da Pippino alla Chiesa; allora parla per passione d'ingrandire la Patria. Il medesimo nel lib. 5. *ad annum* 771. dice, che Desiderio entrò nell' Esarcato e prese Faenza, e COMACCHIO. Il Signor Senatore asserisce, che non iscrive ivi il Rossi, che Co-

MAC-

MACCHIO fosse nell' Esarcato: e pure ciò è verissimo, mentre aveva di già nel fine del lib.4. scritto, che COMACCHIO era Città dell' Esarcato, e nel lib.5. lo ridice tacitamente coll'asserire, che Desiderio entrando nell' Esarcato prese per forza Faenza e COMACCHIO: il che scrive anche Anastasio chiaramente. Il Rossi nel lib.5. pag.227. racconta, che Stefano Papa, privato Michele, che si era intruso nell' Arcivescovado di Ravenna, creò Arcivescovo Leone: e che di ciò non contento gli diede ancora l'amministrazione di tutto l'Esarcato. Il Signor Senatore dice, che il Rossi afferma, che Leone ebbe in amministrazione l'Esarcato da Carlo Magno. Se le parole ciò concludano ognuno lo vegga. Le parole son queste: *Stephanus Pontifex Archiepiscopatus dignitate, qua Leonem affecerat, minime contentus, voluit etiam, ut ipse ac Tribuni tres, qui Comitiis publicis eligerentur, Ravennæ præessent, universumque Exarchatum administrandum susciperent*. Chi non è cieco vede, che il Papa diede l'amministrazione a Leone qualificata, cioè con tre Tribuni e per genio proprio; e che non la diè Carlo Magno, che allora non era Imperadore. Anzi poco dopo scrive, che da questa Pontificia grazia ne divennero gli Arcivescovi sì superbi, che poi si alzarono contra la Sede Apostolica. Il Rossi lib.5. pag.230. riferisce un diploma di Carlo Magno, che conferma alla Chiesa di Ravenna tutte le Città Vescovali e tutti i Vescovadi suffraganei e Provinciali, e tra essi quel di COMACCHIO: *Ad hoc subjici volumus non solum Episcopatus, verum etiam cuncta Monasteria*. Il Signor Senatore dice, che nel sudetto diploma si dà da Carlo Magno il dominio di quelle Città e di COMACCHIO alla detta Chiesa. Ma basta leggere il diploma riferito dal Rossi per vedere quanto sia lontano dal vero, che Carlo Magno disponesse ivi del *dominio temporale*, mentre confermò al suddetto Arcivescovo Grazioso i Vescovadi suoi suffraganei e i Monasteri prima assegnatigli dalla Sede Apostolica. Il medesimo Rossi al lib.5. pag.234. dice, che Pippino Rè d'Italia pose la Sede sua in Ravenna per l'opportunità del sito colla permissione e concessione del Pontefice Romano. Il Signor Senatore scrive (non si sà con che fondamento) affermarsi dal Rossi, che COMACCHIO era parte del Regno d'Italia, da Carlo Magno riservata a Pippino. Le sue parole son queste: *Interea Pippinus Italiæ Rex ad Ravennam, quam ob loci opportunitatem Pontifice Maximo permittente & concedente, Regni sui Sedem ac domicilium fecerat, vires omnes intendit*. Anzi poco prima nell' istessa pag. 234. racconta, che Paolo Traversario nell' anno 804. occupò per forza molte Città vicine a Ravenna, e soggiunge: *Cymaclum etiam cæpit quam-*

M 2 *quam,*

quam, ut ex vetuſtiſſimis conſtat monumentis, Ravennatium juriſdictio ad omnes illas Civitates permanebat. Se dunque il Roſſi afferma, che COMACCHIO allora era giurisdizione di Ravenna; e in altro luogo ſcrive, ch' era compreſo nell' Eſarcato di Ravenna, come mai potea nell' iſteſſa pagina dire, che COMACCHIO era del Regno d'Italia riſervato a Pippino? Certamente non concludono ciò le parole, che eſſo conſidera, raccontando, che Niceforo Imperadore mandò due armate per mare e che una nel mare Tirreno, *altera in Adriatico exagitavit oram omnem Italicam, quæ Pippino ſubjiciebatur, ipſumque Cymaclum vetuſtiſſimam Urbem, uti ſupra memoravimus, ferro atque igne demolita eſt*, mentre da ciò ſi raccoglie, che un armata di Niceforo inveſtì la regione Italica del mare Adriatico, allora ſoggetta a Pippino, e devaſtò ancora COMACCHIO; ma non già che COMACCHIO foſſe parte della regione Italica ſoggetta a Pippino, quando il Roſſi poco prima avea ſcritto, che COMACCHIO era ſtata ſempre Città dell' Eſarcato, e ſoggetto a Ravenna, come ſi è detto.

§. 5.

Leone Arciveſcovo di Ravenna è fatto Eſarco non da Carlo Magno, nè da' Greci, ma da i Papi.

Sempre il Signor Senatore ha aſſerito che Leone Arciveſcovo di Ravenna era ſtato coſtituito Eſarco da Carlo Magno. Avendo poi ſentito, che di quel tempo Carlo Magno non era *Imperadore*, dice, che *potea aver avuto* l'Eſarcato dall'Imperadore Greco, quando è molto notorio, che queſti in quel tempo era affatto eſcluſo dall'Italia e ſenza potenza; e quando quei Popoli non ubbidivano più ad eſſo. Il Roſſi al lib. 5. alla car. 227. in fine atteſta, che Stefano Papa diede in amminiſtrazione tutto l'Eſarcato a detto Leone Arciveſcovo, e che perciò egli ſi cominciò ad intitolare Eſarco dell' Italia: e ſoggiunge queſte parole: *quem eumdem inſignem titulum cum adminiſtratione conjunctum qui ſequuti ſunt Archiepiſcopi egregie ſuſtinentes magni quoque & ſanctiſſimi appellabantur. Quapropter non fuit mirum neque difficile ex ipſius aliquos rurſum in Romanam Sedem priſcæ temeritatis & arrogantiæ inſaniam excitaviſſe*. Queſte parole però ſeguono immediatamente al racconto da eſſo fatto, che Stefano Papa diede a Leone l'amminiſtrazione dell' Eſarcato. Laonde concludono, che la detta amminiſtrazione datagli dal Papa l'ebbero ancora molti ſucceſſori di Leone, alcuni de' quali perciò inſuperbiti ribellarono contra la Santa Sede: il che prova quanto ſi è detto nel Congreſſo, che Leone, come amminiſtratore dell'Eſarcato coſtituito dal Papa, eſercitò giurisdizione in COMACCHIO: e con giuſtizia Adriano I. ſucceſſore di Stefano ſi lamentò appreſſo Carlo Magno, che Leone divenuto ribelle volea impedire gli atti di giurisdizione della S. Sede in COMACCHIO, i quali erano

ſtati

stati esercitati da' suoi predecessori: che non si vergognava di dire, che Carlo Magno avea conceduto a lui le Città dell' Esarcato, e che per ciò gli ordinasse a desistere.

§. 6.

Pippino II. difese Comacchio da'Greci, come Città dell' Esarcato, e non del Regno d'Italia, da cui era escluso; e per comando di Carlo Magno suo padre, Avvocato della Sede Apostolica.

Si è detto, che Pippino difese Comacchio da' Greci l'anno 808. perchè Leone III. avea chiamato Carlo Magno, come Defensore e Avvocato della Chiesa a difendere le spiagge maritime tanto spettanti al dominio della Santa Sede, che appartenenti al Regno d'Italia, dall' infestazioni non solo de' Saraceni, ma anche de' *nimici* della Chiesa, come erano allora i Greci: e che Carlo mandò Pippino in Italia per questo effetto. Ma perchè Pippino difendesse Comacchio da' Greci non si prova per questo, che Comacchio appartenesse ad esso e al Regno d'Italia, dovendosi ciò riferire all' impegno da lui preso di difendere, secondo il comando del Padre, le spiagge e Città maritime appartenenti alla Chiesa, com' era Comacchio, Città dell'Esarcato, ed espressamente inclusa nella donazione e restituzione di Pippino e di Carlo. Questo vien comprovato dal Rossi lib.5. alla car.234. citata dal Signor Senatore, nella quale il Rossi attesta, che Pippino di quel tempo prese la sua residenza in Ravenna per difendersi da' Greci, così volendo e permettendo il detto Leone Pontefice. Ma il Signor Reggente s'inviluppa con raccontare storie, che nulla fanno al caso: e senza rispondere alla verità nuda del fatto, crede, che dal medesimo risulti la nuova favoletta inventata da' Ministri Estensi, che Comacchio fusse pertinenza del Regno d'Italia. Tutti gli Autori dicono, che Pippino era nimico allora de' Veneziani, e che l'armata de' Greci ributtata più volte da' Cittadini di Comacchio trovò sempre il rifugio presso i Veneziani. Ma il Signor Senatore senza considerare quanto gli storici dicono, asserisce, che Pippino era allora *amico* de' Veneziani. Gli storici tutti descrivono i confini de' Veneziani molto remoti da Comacchio: e il Signor Senatore senza nè pure addurre uno storico, afferma con molta sicurezza, che Comacchio era dentro i confini de' Veneziani. E non si accorge, che quando anche ciò fosse vero, Comacchio non sarebbe stato mai pertinenza del Regno d'Italia, mentre i confini Veneziani furono sempre fuori di detto Regno, come attestano gli Storici, che hanno descritte le memorie antiche de'Veneziani, e gli stessi patti stabiliti tra i Veneziani e i Rè d'Italia rapportati dal Signor Senatore. I Ravennati prima e dopo del diploma di Ridolfo I. furono sudditi della S. Sede: e se esercitarono giurisdizione molte volte in Comacchio, ciò conferma il dominio della Chiesa Romana. E pure il Signor Senatore adduce gli atti di giurisdizione esercitati

tati

tati da' Ravennati, come fatti dall' Imperio. Riferisce il detto Signor Senatore un diploma di Carlo Crasso, nel quale pretende, che si chiamino i Comacchiesi *suoi Sudditi*. E pure questo diploma non si è mai veduto, nè si sa dove sia, nè chi lo riferisca. Dice ancora d'aver provato che Comacchio spettasse a Berengario e ad Adelberto Rè d'Italia: e pure ciò si è asserito semplicemente senza prova alcuna: e nel Congresso è stato pienamente a ciò soddisfatto. Dice di più di aver addotti i documenti de'patti, delle leghe e paci tra' Veneziani e gl' Imperadori, ne' quali i Comacchiesi siono chiamati *sudditi* Imperiali. E pure questi patti, queste leghe e documenti di pace non sono stati mai veduti: nè si sa ove siano e quale Storico gli riferisca, non essendosi citato alcuno, che ciò dica.

§. 7.

Ottone I. chiamato in Italia da Giovanni XII. secondo tutti gli Storici.

Asserisce il Signor Senatore, ch'è difficile provare, che Ottone Magno fosse chiamato in Italia da Giovanni XII. e che perciò la donazione del medesimo sia sospetta; là dove tutti gli Storici antichi di quei tempi lo affermano, come Luitprando histor. lib.6. cap.6. Ottone Frisingense lib.6. cap. 21. lo Scrittore antico della vita di Santa Matilde appresso il Bollando tom. 2. Martii pag.367. col.1. dove si legge, chè Ottone fu chiamato *a Præsule Apostolicæ Sedis & Romam properasse, sicut Papa mandaverat*: a'quali Scrittori, come coetanei o prossimi si dee assai più credere, che al Platina, il quale è pieno di mille errori; e specialmente nélla vita di Giovanni XII. cui erroneamente chiama XIII. come attesta il Panvinio. Vegga di grazia il Signor Senatore la Legazione di Luitprando all' Imperadore de' Greci pag.141. e vedrà ivi registrato, che esso Luitprando essendo Ambasciadore d'Ottone in Costantinopoli, affermò, che il medesimo avea fatta la donazione alla Chiesa Romana. Le parole sono queste: *quod Apostolorum Beatorum Ecclesiam respicit, Sanctissimorum Apostolorum Vicario contulit: & si est, ut Dominus meus* (nempe Otto) *ex iis omnibus Civitates, Villas milites aut familiam obtineat, Deum negavi*: il che prova la verità della donazione; e che Ottone niente avea riservato nella medesima. Allega in contrario il Signor Senatore il Sigonio: e pure il Sigonio al lib.6. *de Regno Italiæ* all'anno 960. dell' edizione di Francfort dell'anno 1593. pag.166. afferma, che Giovanni XII. Pontefice *indigna omnia passus Joannem Diaconum Cardinalem & Azonem Scriniarium ad Ottonem Legatos cum literis in Saxoniam misit*: e poi seguita a narrare la venuta d'Ottone in Italia e il giuramento dato al Papa confirmatorio delle donazioni precedenti. Il Tesauro nel libro del Regno d'Italia stampato in Torino l'an-

no

no 1664. pag. 198. e Valeriano Castiglione nelle note pag. 83. raccontano lo stesso. E pure tutti e tre questi Scrittori sono citati in contrario.

§. 8.

Leone VIII. giustamente chiamà Comacchio suo.

Leone VIII. intruso nel Pontificato 32. anni prima di Gregorio V. nelle sue Bolle chiamò Comacchio *nostrum* prima che Gregorio V. l'avesse donato alla Chiesa di Ravenna: e tale anche lo potea chiamare benchè lo possedessero gli Arcivescovi di Ravenna, perchè n'era il supremo padrone, e benchè Adelaide Imperadrice in vita sua possedesse Comacchio, perchè lo possedea con permissione di Gregorio V. il quale ancora prima della morte di lei ne dispose a favore della Chiesa di Ravenna con questo però, che la donazione avesse effetto dopo la morte di detta Imperadrice. Nè si è portato Storico alcuno nè antico, nè moderno, il quale abbia affermato, che Adelaide possedesse Comacchio, come parte del Regno d'Italia: nè si potrà mai addurre, se non si fa apposta, essendo contra la verità confessata da Lodovico Pio, da Ottone Magno, da Enrico il Santo e da Ridolfo I. i quali ne' loro diplomi Imperiali hanno dichiarato esser Comacchio Città donata alla Chiesa Romana da Pippino, da Carlo Magno e confermata da loro, come Città spettante all'Esarcato di Ravenna. Ciò ripugna ancora agli Storici antichi, cioè ad Anastasio, e a tanti altri addotti, che hanno affermato lo stesso. Laonde tutte le narrazioni storiche, che si ammassano dal Signor Senatore per provarlo a forza di conghietture infelici, sono molto incerte. Che se qualche volta o Berengario o qualche altro Rè d'Italia avesse esercitato giurisdizione in Comacchio: il che nè meno si è provato con evidenza, dovrebbe ascriversi non all'esser Comacchio parte del Regno d'Italia, ma all'avere qualche volta quei Rè tirannicamente usurpata Ravenna e molte altre Città del dominio di Santa Chiesa.

§. 9.

Ottone I. non tenne mai Comacchio per suo. Diplomi Imperiali degli Arcivescovi di Ravenna non furono Investiture, ed alcuni son falsi.

Dice il Signor Senatore, che Ottone il Grande chiamò i Comacchiesi *suoi sudditi*. Si bramerebbe sentire dal medesimo ove sia tal documento e chi lo riferisca. Si ritorna a discorrere dell'*investiture* dell'Esarcato date dagl'Imperadori agli Arcivescovi di Ravenna. Ma queste non furono *investiture*, bensì protezioni e conferme, come si è provato. E molte di esse furono date in tempo di scisma e di guerra tra l'Imperio e la Chiesa, e prima o poco dopo i giuramenti e le donazioni dell'Esarcato fatte alla Chiesa Romana da' medesimi Imperadori. Pare assai strano al Signor Senatore, che i Papi donassero alla Chiesa di Ravenna Comacchio, e poi di quella Città n'investissero gli Estensi

Estensi col Vicariato di Ferrara. Ma gli cesserà la strana ammirazione quando considererà la lunga ribellione di quegli Arcivescovi contro alla Chiesa Romana fino a' tempi di Gregorio VII. e suoi successori, per la quale decaddero dalle donazioni fatte loro dalla medesima Santa Sede: tanto più, che i Sommi Pontefici s'erano riservati i loro diritti dominicali, e secondo i sagri Canoni possono i medesimi disporre de' beni dell' altre Chiese in conformità della pratica antichissima e particolarmente de' beni dati alle medesime da loro stessi. I diplomi d'Ottone III. dall'anno 999. e 1001. dati agli Arcivescovi di Ravenna sono parimenti conferme e protezioni Imperiali: nè contengono di più, come tante volte si è risposto. Ma in verità sono adulterini e finti, perchè sono trascritti dal libro di Guglielmo Valla *de Exarchatu*, il qual uscì dall'officina d'Alfonso Ceccarelli famoso impostore, il quale perciò fu condannato a morte da Gregorio XIII. come prova diffusamente il Signor Abate Fontanini nella Risposta data all'ultimo Memoriale stampato dal Serenissimo Duca di Modena e presentato a Sua Maestà Cesarea contra la Santa Sede. Il diploma d'Ottone III. riferito dal Goldasto dovea tacersi, come una solenne impostura inventata dagli Eretici, e come una favola riprovata dal Baronio, dal Gretsero, Velsero, Pagi e da altri addotti dall'Abate Fontanini pag. 382. E i suddetti Autori, che ciò provano, fuori del Baronio, sono tutti oltramontani e non *condotti* dalla Sede Apostolica, come senza fondamento e con somma ingiuria di Scrittori sì famosi viene asserito. Si loda molto un certo diploma d'Enrico II. conceduto alla Chiesa di Ravenna presso il Rossi lib. 5. pag. 275. E pure quell'atto non è diploma d'Enrico II. ma d'un certo Messo Imperiale: e in quello non è nominato mai COMACCHIO: ed è cosa mirabile il sentire, che ne' luoghi cancellati di quell'atto, che il Rossi stesso non potè leggere, si debba intendere COMACCHIO: talchè oltre all' addurre molti passi degli Storici diversamente da quello, che sono, si vuole ancora indovinare. Oltre a ciò il medesimo atto è sospetto, perchè mai non potranno accordare l'anno *quinto* di Benedetto XII. coll'anno *terzo* di Enrico e con l'Indizione *decimaquinta* notati in detto atto. I diplomi d'Enrico IV. doveano omettersi, come dati in tempo dello scisma, in cui Enrico perseguitava la Chiesa e avea usurpati i patrimonj della medesima; e come anche rivocati da' Pontefici e singolarmente da Gelasio II. l'anno 1119. come risulta dalla sua Bolla presso l'Ughelli tom. 2. pag. 364. nella quale si dichiara, che l'Esarcato spettava alla Chiesa Romana: e se ne dà l'amministrazione agli Arci-

Arcivescovi. Dice però il Signor Senatore, che la detta Bolla è data del mese d'Agosto l'anno 1119. quando Gelasio II. era morto nel mese di Gennajo dell'istesso anno. Ma è da maravigliarsi, come un'uomo così oculato non abbia avvertito, che Gelasio si servì dell'era de' Pisani, che cominciava l'anno dal giorno di Pasqua, come nota il Pagi parlando di questa istessa Bolla all'anno 1118. n.9. Laonde secondo la computazione Pisana quella Bolla fu data l'anno 1119. e secondo l'epoca nostra volgare l'anno 1118. Pretende ancora il Signor Senatore, che la detta Bolla di Gelasio II. restituisca agli Arcivescovi di Ravenna lo *spirituale* solo, e pure in essa vi sono queste parole, che si leggono ancora appresso al Rossi lib.5. pag. 322. *Confirmamus etiam vobis Ducatum Ravennæ, Monasteria seu possessiones ad vestram Ecclesiam pertinentes per authentica privilegia ab Antecessoribus nostris & a Catholicis Regibus tradita*. Se il Ducato di Ravenna e i beni e poderi sieno cose *spirituali*, lo decida chi legge.

§. 10. Bolle d'Onorio II. e d'Innocenzo II. che danno COMACCHIO per soggetto alla Santa Sede.

Il Signor Senatore asserisce di più, che le Bolle di Onorio II. e d'Innocenzo II. non sono riferite dal Rossi, nè da alcuno Storico. E pure potea vedere il Rossi al lib.6. pag.389. che riporta intiera la Bolla di Onorio II. nella quale conferma e concede a Simeone Arcivescovo di Ravenna e a' suoi successori molte Castella, l'intiero Contado d'*Argenta* e il Contado di COMACCHIO con tutti gli onori e pertinenze sue, salva sempre la giurisdizione della Chiesa Romana. Potea leggere l'Ughelli al tom. 2. alla pag.366. ove riferisce la Bolla del medesimo Onorio II. nella quale dichiara: *Exarchatum Ravennæ Romanæ Ecclesiæ juris esse*; e potea leggere il Prisciano Storico Estense, e perciò non sospetto, il quale ne' suoi manoscritti rapporta due Bolle d'Innocenzo II. scritte a Landolfo e a Gisone Vescovi di Ferrara, ove chiama *nostrum Comitatum* COMACLENSEM. Allega il medesimo Signor Senatore due diplomi di Federigo I. conceduti l'anno 1158. e 1160. agli Arcivescovi di Ravenna, quando avrebbe fatto meglio a occultargli, come dati da quell'Imperadore in tempo, ch'era scismatico e avea occupato le Città e dominj spettanti alla Chiesa Romana, come è notorio e lo attesta Alessandro III. in una lettera all'Arcivescovo di Salzburg e suoi suffraganei uscita dalla Biblioteca Cesarea per opera di Sebastiano Tengnagelio Bibliotecario Cesareo *in Monumentis contra schismaticos* pag. 197. dedicati al Vescovo di Vienna: le parole della quale sono le seguenti: *A tempore siquidem bo. me. Antecessoris nostri Adriani Papæ & ab exordio dignitatis suæ cœpit Fridericus Sanctam Romanam Ecclesiam tanquam tyrannus opprimere & non mediocriter infestare:*

re. E poco appresso: *vivente etiam prædicto antecessore nostro Adriano, patrimonium Beati Petri violenter invasit & eandem Romanam Ecclesiam visus est modis omnibus conculcare*. Potea il Signor Senatore addurre molti e molti diplomi di Federigo, e atti, ne' quali il medesimo dispose di quasi tutte le Città e dominj della Chiesa Romana, quando le avea occupato quasi tutto il patrimonio. Però i Cattolici abborriscono il nome di detti atti, rivocati poi dal medesimo nella pace fatta con Alessandro III. come seguiti in tempo di scisma.

§. II.

Alcuni atti parte scismatici e parte insussistenti, addotti contra il dominio della Santa Sede in COMACCHIO.

Nè giova il dire, che Anselmo Arcivescovo di Ravenna accettasse i detti diplomi di Federigo, perchè quando ciò fusse vero, Anselmo fu uno de' Vescovi scismatici, che aderì sempre a Federigo, come apparisce dalla Storia sagra e dall'Ughelli to. 2. alla pag. 367. Di tal natura e forza sono gli altri diplomi del medesimo dati a Guidone Arcivescovo di Ravenna scismatico, il quale da' Pontefici Romani non fu mai confermato o riconosciuto per legittimo Arcivescovo, come riferisce l'Ughelli to. 3. alla pag. 370. Ritorna il Signor Reggente a recitare il diploma di Federigo I. conceduto a' Comacchiesi l'anno 1177. e perchè l'Abate Fontanini nel suo libro pag. 175. 176. e 177. porta dimostrazioni evidenti per la falsità del medesimo, il Signor Senatore replica, ch'è registrato nel Codice delle cose di COMACCHIO, che i Ministri Apostolici danno per autentico. Ma nel detto Codice non vi è l'originale del detto diploma, ma solamente la di lui copia, dalla lettura della quale apparisconc le falsità manifeste; onde nulla rileva la copia estratta da quella, che in detto Codice stà inserita, mentre è piena di errori tali, che convincono la falsità del diploma, il quale essendo falso, nè potendosi dal Sig. Senatore rispondere alle ragioni rapportate dall'Abate Fontanini, che lo convincono tale; non può diventar vero, perchè la sua copia sia inserita in un libro autentico, ove sieno registrati altri strumenti autentici. Oltre a ciò questo Codice fu scritto nel tempo d'Ercole II. Duca di Ferrara, cioè in tempo sospetto alla Santa Sede, e come dato da un Imperadore scismatico nulla affatto rilieva. Il medesimo si risponde all'altro diploma di Federigo II. parimente inserito in detto Codice di COMACCHIO provato concludentemente falso dal medesimo Fontanini ne' luoghi sopra notati: Si fonda ancora il Signor Senatore ne' diplomi d'Ottone IV. e Federigo II. conceduti alla Chiesa di Ravenna. E pure è stato risposto, che quelli portano semplici conferme e protezioni, nè sono investiture. E quando fussero tali, sarebbono fatte in tempo, che i detti Imperadori erano scismatici e aveano usurpati alla Chiesa Romana i suoi

i suoi dominj. Sicchè per provare il possesso dell'Impero nell'Esarcato e in Comacchio, le ragioni dell'Impero si fondano negli atti fatti dagl'Imperadori scismatici intenti ad usurpare ed occupare le Città della Chiesa, i quali poi dopo assoluti dalle censure e ritornati alla Madre rivocarono quanto aveano fatto in pregiudizio della medesima; confermarono le donazioni de'loro predecessori e giurarono di restituire tutte le Città usurpate. Dice il Signor Senatore, che nella rinovazione de' patti della pace fatta tra Federigo II. e i Veneziani, i Comacchiesi si chiamino *sudditi* di Federigo. Ma dove sieno questi patti, chi gli riferisca, si è sempre taciuto, onde o non son veri, o dalla lettura d'essi apparirà il contrario. Così essendosi detto nel Congresso, che simili patti tra Enrico VI. e i Veneziani si mostrassero o si additasse lo Storico, che gli riferisce, ora il Signor Senatore risponde così: *unicuique patent, qui velit ea invenire*. In questa maniera potressimo noi portare infiniti atti di Pontefici sopra Comacchio senza dire ove siano e chi gli rapporti, e per la bella chiosa, che *unicuique patent*, doverebbero stimarsi per veri. Questo è lo stesso, che comporre le storie a suo modo e far apparire per evidente quello, che non è *in rerum natura*. Il Signor Reggente oppone il diploma d'Enrico VI. il quale, come tante volte è stato risposto, si risolve in una mera conferma, come atto di protezione; e se fosse atto di dominio, proverebbe, che tutto l'Esarcato, Ravenna e Ferrara in detto diploma espressi, appartenessero all'Impero. Anzi detto diploma prova, che Comacchio era nel distretto di Ferrara, come pienamente dimostra il Signor Abate Fontanini nel suo libro alla pag. 90. dove prova, che i moderni Storici Estensi in questa parte hanno adulterato la vera lettura di detto diploma; e che il Sardi, il Pigna e il Prisciano l'hanno sinceramente riferito nel modo vero, che stà, cioè colle parole, che provano, che Comacchio è nel distretto di Ferrara. Quello che di nuovo si accenna toccante l'alto dominio, potea tralasciarsi, essendo una reliquia d'un infausta memoria di Federigo e d'altri Cesari scismatici sollecitati con questo titolo insussistente dagli Eretici più fieri nemici, che avesse la Chiesa, ad usurpare le Città a lei restituite e donate con detestazione universale di tutta la Germania Cattolica, e degli Scrittori più famosi, come si è provato da' Signori Fontanini e Zacagna, e più diffusamente si dimostra nell'ultima risposta data al Memoriale del Serenissimo Estense presentato a Sua Maestà Cesarea. Quindi non è credibile, che l'Augustissimo Cesare vivente toleri, che una memoria sì funesta ed una pretensione dettata dagli

Scismatici ſi rinuovi, e ſi faccia riſorgere nel tempo del ſuo feliciſſimo e Cattolico Impero.

Si laſcia di riſpondere a molte coſe già rifiutate e riconoſciute inſuſſiſtenti ne'paſſati Congreſſi. E ſi conclude, che per provare il preteſo poſſeſſo dell'Impero ſopra COMACCHIO avanti al diploma di Ridolfo I. o ſi adducono Storici, i quali dicono tutto il contrario, o ſi nega la verità ſtorica, o ſi ſuppongono patti e diplomi, che non ſi moſtrano e non ſi riferiſcono da alcuno Scrittore; o ſi portano conghietture, ragioncelle e atti d'Imperadori ſcismatici, rivocati e annullati da eſſi medeſimi, ſiccome fatti contra i giuramenti da eſſi preſtati. Che ſe queſti ſieno i modi da provare, che COMACCHIO appartenneſſe all'Impero prima del diploma di Ridolfo I. ſi laſcia alla conſiderazione d'ogni Uomo di coſcienza, e di ſana mente, il quale voglia riconoſcere ſenza paſſione la verità delle coſe.

Ita eſt Joſ. Card. Gozzadinus.

DISCUS-

DISCUSSIO I.

Super Articulo III. de possessione COMACLI penes Sedem Apostolicam statim ac prodiit Bulla aurea Rudolphi I. & tempore deinde sequuto.

SYNOPSIS.

Ostenditur COMACLUM *vel tanquam subjectum Ravennatibus, vel tanquam appendix districtus Ferrariensis, semper habitum fuisse pro re ad Sedem Apostolicam pertinente, non vero ad Imperium, ab anno* 1279. *usque ad annum* 1598.

§. 1. Conventus diei 25. Septembris 1710.

IN Conventu habito sub die 25. Septembris Reverendissimus Dominus Corradinus Archiepiscopus Athenarum, Sedem Apostolicam COMACLUM post diploma Rudolphi I. possedisse rationibus mox adducendis probavit.

§. 2. COMACLUM suberat Ecclesiæ Romanæ statim ac prodiit Constitutio Rudolphi I. decernens COMACLUM una cum Exarchatu ad eandem Ecclesiam spectare.

I. Ex quo revocatis juramentis fidelitatis præstitis ab Urbibus Exarchatus Cancellario Rudolphi I. COMACLENSES paulò ante datum diploma ab eodem Rudolpho, juraverant fidelitatem Ravennatibus. At cum iidem tunc subessent Pontifici, atque jussa Legati Apostolici facerent, omnemque jurisdictionem, quam in ditionem Ravennatem, & sic in COMACLUM exercebant, a Romano Pontifice ex pacto recognoscerent; hinc apparet, COMACLENSES tunc Sedi Apostolicæ paruisse ex relatis in Conventu diei 11. Septembris. Respondetur id argumentum verissimum esse, quatenus tunc COMACLUM ad Sedem Apostolicam, non autem ad Imperium spectasset, nam poterant Ravennates ex concessione Imperiali COMACLUM possidere. Sed nuspiam constat Ravennates COMACLUM ex investitura Imperiali possedisse, quinimmo contrarium educitur ex historia Rubei in Conventu adducti, qui refert eo seculo, eoque tempore COMACLENSES, modo Venetis, aliquando Ferrariensibus & demum Ravennatibus se dedisse: unde non ex aliqua concessione Imperiali, sed ex illius ætatis ærumnis, motibusque in illis partibus tunc sequutis, hæc contigerunt, dum Civitates illæ ac Cives, tyrannique & Reguli Sanctæ Sedi rebelles, invaserant Opida & Urbes ad Pontifices Romanos pertinentes: utque tuerentur quæ occupaverant, jurejurando fidem Rudolpho obstrinxerant: quod is revocavit irritumque fecit, agnito dominium earum Urbium ad Sedem Apostolicam pertinere, uti in dicto Conventu narravimus. Idem responsum

sum vim nostri argumenti auget. Patet enim ex sæpe repetito Rudolphi I. diplomate, COMACLUM tunc ad Romanam Ecclesiam spectasse: idque apparet non quidem ex argumentis æquivocis, aut ex dubia Historicorum relatione, sed ex solemni declaratione *ad perpetuam rei memoriam* a Cæsare facta, in qua palam affirmavit, recognovit & fassus est perpetuo quidem edicto & ad tollendam obscuritatem facto, Civitates ibi descriptas, inter quas COMACLUM, ad Sedem Apostolicam *pleno jure, insolidum, integre ac jure Principatus & ditionis* pertinere. Ergo dum clarissime constat ex Imperiali Bulla data post rem solemniter cognitam, itemque ex diplomate consensus Electorum Imperii, in quo pariter affirmatur COMACLUM juris Romanæ Ecclesiæ fuisse & esse, eam Urbem tunc ad Romanam Ecclesiam pertinuisse, habemus quod ipsi Ministri Cæsarei exquirunt, ut juramentum per COMACLENSES Ravennatibus præstitum tam paulò ante, quam post laudatum diploma, dicatur datum Sedi Romanæ, cui Ravennates ipsi parebant.

§. 3. Sanctam Sedem possedisse COMACLUM habetur ex Tabulis Rudolphi I.

Possessio COMACLI educitur ex ipso diplomate Rudolphi I. qui iis clausulis *pleno jure, in solidum, integre, & jure Principatus & ditionis*, fassus fuit COMACLUM in potestatem Romanorum Pontificum rediisse. Formulæ enim prædictæ probant dominium & possessionem, quemadmodum relatum est in Conventu diei 4. Augusti. Cur autem ambagibus & argumentis nimium quantum subtilibus, non vero declaratione facta a Cæsare atque ab Electoribus Imperii hæc res definienda sit, mente assequi non valemus. Ego certe non ausim tam facile contra Imperiale diploma clarissimum & confessionem adeo solemnem in re jam quatuor ab hinc seculis consopita, frontem opponere.

§. 4. COMACLENSES subjecti Azoni Estensi tanquam Ferrariæ tyranno.

Anno 1297. COMACLENSES Imperium Ravennatium detrectantes ad Azonem Estensem Ferrariæ Regulum, qui tunc Ferrariam invaserat, defecerunt, teste Rubeo lib.6.pag.498. ubi sic ait: *Cymaclienses, qui ut ipsimet testabantur, vetustissimo jure supra omnium memoriam subjecti Ravennatibus fuerant, eorum Imperium detrectantes ad Estensem Ferrariæ Regulum defecere, secundum, ut puto, rerum illius cursum sequuti, quo in dies magis florere Azo videbatur*. En qua occasione Estenses dynastæ COMACLUM cæperunt invadere postquam Ferrariæ, Regulus Azo, tyrannus evaserat & occupaverat eam Urbem Sedi Apostolicæ subjectam. En itidem probatum COMACLENSES annis præcedentibus & quidem *supra omnium memoriam* Ravennatibus paruisse, nimirum vel Archiepiscopis Ravennæ, quibus Pontifices eum Comitatum con-

conceſſerant, uti pleniſſime probatum eſt in Conventu diei 27. Auguſti; vel Ravennatibus ipſis, qui rebelles Romanæ Eccleſiæ, patriam, & pleraſque Urbes & Opida contermina invaſerant; atque ante & poſt Rudolphi diploma in poteſtatem Pontificum redierant & COMACLUM uſque ad annum prædictum 1297. ex permiſſione Romanæ Eccleſiæ tenuerant, quemadmodum ſuperius dictum eſt.

§. 5.

COMACLUM poſt defectionem ad Ravennates iterum ſubeſt Eſtenſibus tanquam Ferrariæ tyrannis,& poſtea una cum Ferraria Sanctæ Sedi.

Anno 1304. COMACLENSES ad Ravennates, qui adhuc Legato Pontificio parebant, iterum defecere, teſte eodem Rubeo lib. 6. pag. 509. ubi ſubdit, ſtatim id Opidum ab Azone Eſtenſi recuperatum. Verum Azone defuncto,orta diſſenſione inter Franciſcum legitimum & Friſcum ex illegitimo thoro natum Azonis filios, Clemens V. tunc Pontifex anno 1308. Ferrariam hoc modo recuperavit. Scripſit literas Lamberto Polentano potentiſſimo Civi Ravennati, quibus illi præcepit, ut cum Arnaldo Legato ſuo junctis copiis auxiliiſque Provincialium eam Urbem obſideret, quemadmodum factum eſt. Nam Lambertus ac Bernardinus fratres Ferrariam oppugnarunt, Urbemque nomine Clementis muniverunt. Et quamvis vix duobus lapſis menſibus Veneti, quos Friſcus in Arcem Ferrariæ introduxerat, auxiliares copias Ravennatium & Arnaldi Legati profligaſſent, attamen eo pacto Ferraria Venetis dimiſſa eſt, ut ipſi Præturam, jurisdictionem vero & dominium Urbis Pontifex haberet, teſtimonio ſæpe laudati Rubei pag. 518. & 519. Tandem anno ſequenti fugatis Venetis Civitas libere Sedi Apoſtolicæ reſtituta eſt ex eodem Rubeo pag. 520. Hoc eodem anno 1309. COMACLENSES, recuperata Ferraria, Legatos ad Ravennates Eccleſiæ Romanæ etiam tunc fideles, miſerunt, qui eorum nomine juramentum fidelitatis illis darent, ex eodem Rubeo pag. 520. Ex his plura eruuntur. I. Eſtenſes COMACLUM nullo jure, nullove juſto titulo invaſiſſe. II. Illud habuiſſe ex defectione Civium,qui non poterant ſeſe ſubjicere uſurpatoribus,præſertim poſtquam Imperator eos ſubditos Eccleſiæ Romanæ in ſolemni diplomate declaraverat. III. Reſtituta Eccleſiæ Ferraria,ipſoſmet COMACLENSES agnoviſſe perperam fide Eſtenſibus ſe obſtrinxiſſe. IV. Prædicta accidiſſe ex motibus illarum partium, & quoniam Azo Ferrariam invaſerat. V. Tum deque paucis interjectis annis,quibus ii Cives ſub poteſtate Eſtenſium vixerant, ea ætate fere ſemper paruiſſe Ravennatibus, illiſque fidelitatem juraſſe, qui juſſa Pontificis faciebant: unde patet poſt diploma Rudolphi COMACLUM ſub poteſtate Summorum Pontificum ſemper fuiſſe.

Hæc

§. 6.

Robertus Rex Neapolis Vicarius Romandiolæ & Ferrariæ pro Sancta Sede, dominatur etiam Comacli.

Hæc quæ memoravimus accipienda sunt ex gestis sequentium annorum curriculo. Summus Pontifex ut Venetus adhuc nova moliri cupientes averteret, & pacem inter Exarchatus Urbes instauraret, Robertum Regem Neapolis in Romandiolæ & Æmiliæ Vicarium constituit, quem constat tanquam Ecclesiæ Romanæ Vicarium, universum Exarchatum administrasse & in Comaclum jurisdictionem nominatim exercuisse. Hæc probantur ex literis ejusdem Roberti apud Rubeum pag. 523. quibus inseritur supplicatio Episcoporum illarum partium, atque etiam Ecclesiæ Comaclensis, qui ob præcedentis ætatis motus, ærumnasque, spoliati bonis Ecclesiarum suarum, sibi eadem restitui postulabant. In iisdem literis Rex tanquam Vicarius a Romana Ecclesia constitutus, Nicolao Caracciolo, quem delegaverat in illis partibus, jubet diligenter inquirere quænam essent bona invasa, quinam ea occupassent, & a quo tempore, ut relatione habita, prout de jure, rebus consulere valeat. Præcipit etiam, iisdem Episcopis servari illibatas immunitates, libertates, jura, privilegia, & indulta iisdem concessa per Summos Pontifices vel Catholicos Principes. Hic advertere juvet omnes Episcopos fuisse illius tantum Provinciæ, quam administrabat Robertus nomine Ecclesiæ Romanæ, nempe Antistitem Ravennatem, Bononiensem, Faventinum, Imolensem, Cerviensem, Foropopiliensem, & Comaclensem. Notandum etiam, non adfuisse alios Episcopos qui Ecclesiæ Ravennati suberant, scilicet Regiensem, Mutinensem, pluresque alios, quos Rubeus enumerat. Rex eos omnes nuncupat *devotos suos*, quod essent Episcopi illarum Civitatum, quas ipse regebat. Frustra vero Comaclensis ad Robertum confugisset, restitutionem bonorum Ecclesiæ suæ a manu regia deprecaturus, nisi in Comaclum & Territorium Comaclense Robertus jus dicere potuisset. Jam vero ad aliud factum transeamus. Redempta Ferraria per Legatum S.R.E. a tyrannide Frisci Estensis, judices Romanæ Ecclesiæ Marchionis Francisci Estensis bona in eadem Civitate & pertinentiis sita confiscarunt, quod is eam Urbem occupare tentasset. Quare Azo junior & Bertoldus Marchionis Francisci filii anno 1313. supplicarunt Roberto Regi, ut in pristinam gratiam paternis bonis integrati reciperentur. Remisit Rex preces ad Adenulphum de Aquino Vicarium suum Ferrariæ, coram quo Azo & Bertoldus ex dictis plurium testium probarunt parentem facinoris falso insimulatum: quare sibi restitui bona sua obtinuerunt. Hujus rei processum judicialem produxerunt Estenses Romæ anno 1658. quo Gallorum suffulti præsidio quasdam Valles

Co-

COMACLENSES a Romana Ecclesia auferre conabantur: quod illis etiam feliciter contigit. Jam videamus quænam fuerint bona per judices Sedis Apostolicæ, qui Ferrariam regebant, fisco Principis adjudicata. Petitio judicialis Azonis & fratris hæc fuit: *Bona vero & possessiones, quæ possidebantur per dictum q. D. Franciscum in Civitate Ferrariæ & districtu, & quæ continentur in tertio Capitulo, sunt infrascripta videlicet. In primis totum Podere Cuparii. Item Domus &c. Item Vallis Caldiroli, uno capite Lungula, alio Verzenese, uno latere fovea Palmerii, alio Commune de* COMACLO. Si ergo ex Estensium confessione anno 1313. ultro in judicio exhibita, patet Ferrariæ judices fisco Romanæ Ecclesiæ adjudicasse Vallem in Territorio COMACLI sitam, jam mente assequimur Sedem Apostolicam tunc COMACLUM possedisse, eandemque Urbem mandatis judicum Ferrariensium ab eadem constitutorum, paruisse. Si vero Marchiones Estenses anno 1313. a Roberto Rege Vicario Romanæ Ecclesiæ enixe flagitarunt, eam Vallem sibi restitui, ejusque restitutionem impetrarunt; jam constat Vicarium Summi Pontificis tunc COMACLI jus dixisse pro Sede Apostolica. Insuper dum Robertus eam causam cognoscendam commisit Adenulpho a se constituto Vicario Civitatis Ferrariæ ejusque *districtus*, uti in literis Roberti expressum legitur, dictusque Adenulphus, tanquam Vicarius Ferrariæ ejusque *districtus*, Vallem COMACLENSEM Estensibus restitui mandavit, exploratissimum fit, eo tempore ab omnibus accolis ejus Regionis ac Ministris S. Sedis, COMACLUM de *districtu* Ferrariæ palam existimatum. Hujus rei veritatem ob oculos ponit processus ab Estensibus productus anno 1658. uti dictum est, ubi Azo Marchio Estensis postulat bona a Patre possessa in *Civitate Ferrariæ & districtu*, inter quæ enumerat Vallem COMACLENSEM: quare fassus fuit Vallem illam in *districtu Ferrariæ* constitutam fuisse: quæ quidem stare non possent, nisi COMACLUM ad districtum Ferrariæ pertinuisset. Idipsum evincit instrumentum relatum per D. Abatem Fontaninum pag. 397. & etiam per D. Abatem Zacagnam pag. 125. ubi legitur anno 1309. coram Magistratu Ferrariæ heredes Salinguerræ mandatum de immittendo in bonis ejusdem petiisse atque obtinuisse: inter quæ bona leguntur *Valles Caldiroli*, & aliæ sitæ in Territorio COMACLENSI: quarum possessionem iidem heredes nacti sunt ex mandato judicis Ferrariæ *secundum formam Statutorum Ferrariæ*: ex quo fit eo anno, quo jam, uti diximus, Sedes Apostolica Ferrariam obtinebat, COMACLUM reputatum fuisse *de districtu* & jurisdictione Ferrariæ, alias neque ejus Prætor jus dicere, neque heredes *secundum*

O *for-*

formam Statutorum Ferrariæ, mandato Prætoris illorum bonorum possessionem nancisci potuissent.

§. 7.
Vocis *districtus* latior significatio comprehendit etiam Urbes.

Neque *districtum* hic rigorose sumimus pro *Territorio* vel *Comitatu*, quemadmodum Ministri Estenses hanc vocem explicant. *Districtus* enim latiorem habet significationem, & comprehendit etiam Castrum vel Civitatem aliam majori Civitati subjectam, & quicquid ultra Territorium suum ex alieno Civitas suæ jurisdictioni addidit ex quacunque causa vel ex Principis voluntate juxta Conf.Aretin.77. num.3. & 4. quod cum pluribus aliis refert Bertazol. de Clauf. clauf.20. glof.13. toto num.5. Sic in re de qua agitur, factum scimus. Nam cum Henricus VI. privilegium Ferrariensibus concessisset, in quo Comitatus Comaclensis districtui Ferrariæ addictus legitur,& cum Comaclenses seculo duodecimo sæpe sæpius Ferrariensibus paruissent, uti probant D. Fontaninus pag.87.88.89. & D. Zacagna in dissertat. sua num.41. 44. 45. 144. Pontifices recuperata Ferraria Rectorem seu Vicarium constituerunt, qui eam Civitatem cum integro suo *districtu*, idest cum Opidis & Civitatibus, quæ illi parebant, vel quæ illi aut ejus Magistratibus addictæ erant, regerent, quemadmodum patet ex laudato processu, in quo bona Comaclensia de *districtu* Ferrariæ appellantur, & Vicarius delegatus a Roberto pro Ferraria *& districtu* ejusdem, eadem bona in Comaclensi Territorio existentia, restitui Marchionibus Estensibus decreto mandavit.

§. 8.
Estenses Ferrariam cum ejus districtu, nempe Comacio, semel atque iterum usurpant Sanctæ Sedi, a qua postea ea omnia in Vicariatum obtinent.

Hic fuit status rerum ad annum usque 1317. quo Raynaldus & Obizo Estenses pulsis Roberti Regis militibus, Ferrariæ, districtus & Comitatus ejusdem, dominium contra Pontifices rursus sibi usurparunt: unde factum est, ut Legatus Sedis Apostolicæ in eos & Cives Ferrarienses anathema pronunciaverit. Ut vero Estenses veniam impetrarent habito conventu cum Legato Apostolico apud Podium, Bononiensis diæceseos Opidum anno 1318. restituerunt Civitatem Ferrariæ & omnia loca districtus ejusdem, pacto inito, quo profitebantur se adstrictos ut *nullam personam nisi Romanam Ecclesiam Dominam Civitatis & districtus eorumdem præsumerent nominare*. Hoc constat etiam ex Rubeo lib. 6. pag. 533. qui ait Pontificem tres Episcopos eo anno delegasse, qui in publicis tabulis appellabantur *Rectores, & administratores generales in temporalibus Civitatis Ferrariæ, ejusque Comitatus, & districtus*. Verum anno 1321. Estenses rursus defecerunt, ac Ludovico Bavaro adherentes, invaserunt Ferrariam, Comitatum ac districtum ejusdem, præstito juramento fidelitatis eidem Ludovico; eoque facinoribus suis devenerunt,

nerunt, ut Joannes XXII. Pontifex bellum sacrum iisdem indixerit Bulla data anno 1324. in qua exprimuntur ea, quæ retulimus una cum sequentibus, nempe Estenses contra edicta Pontificis *hominibus Civitatis Ferrariæ & districtus taleas, gabellas & collectas imponere, & ab iisdem exigere nequiter in Ecclesiæ Romanæ juris præjudicium, præsumpserunt*: quod stipendiarios milites *in Civitate, districtu & Comitatu prædictis Ecclesiæ Romanæ suspectos* detinerent: quod ut sese in rebus tyrannice usurpatis tuerentur, nempe in *Civitate, Comitatu & districtu, Civitatem, Comitatum & districtum* prædictos recognovissent a Ludovico Bavaro, illique *pro dictis Civitate, Comitatu & districtu* fidelitatis juramentum contra aliud prius Sedi Apostolicæ præstitum, exhibuissent: quod demum non solum *dictæ Ferrariensis, sed* COMACLENSIS, *& Adriensis Civitatibus & Cathedralibus & aliis Ecclesiis necnon Monasteriis & locis piis, & personis ecclesiasticis, Religiosis, & sæcularibus dictarum Civitatum, & Diæcesium earumdem talleas, collectas, aliaque diversa onera & servitutes imposuissent*, quin *Ferrariensis*, COMACLENSIS, *& Adriensis Episcopos de propriis Episcopatibus expulissent*. Jam videmus quibus titulis Estenses COMACLI & Adriæ dominatum arripuerint. Videmus etiam Ferrariæ Vicariatum continuisse non solum *Territorium* & *Comitatum*, sed etiam *districtum* magis late patentem. Ex his nemo non novit COMACLUM & Adriam, quas Urbes Rudolphus Rex Romanorum ad plenum jus Sedis Apostolicæ pertinere declaraverat, tunc sub imperio Romanæ Ecclesiæ fuisse; nam Estenses plecti non potuissent spiritualibus & temporalibus pœnis a Summo Pontifice, si *talleas* & *gabellas* tantum exegissent ab Urbibus & hominibus, qui Imperatori paruissent, & Romanæ Sedis subditi nequaquam fuissent. Notandum vero Pontificem conquestum non fuisse de *talleis* & *oneribus* impositis solis *Ecclesiis* & ecclesiasticis personis dictarum Civitatum; sed & *Civitatibus* ipsis ac personis sæcularibus earumdem: quod *sceleris* nomine a Pontifice appellatur, & contra jus Romanæ Ecclesiæ factum. Quamobrem clarissime inde exurgit Ecclesiam Romanam in iisdem Civitatibus tunc dominatam. Præterea ex iisdem actis probatum apparet quinam essent homines Ferrariæ, *ejusque districtus*, quibus *talleas*, & *Collectas* Estenses imposuerant, ut generatim asseritur in prima parte Bullæ Joannis XXII. Fuerunt nempe homines Civitatum *Ferrariæ*, COMACLI & *Adriæ*: & quidem sæculares etiam & ipsæ *Civitates* in secunda parte ejusdem Bullæ nominatim expressæ. Inde etiam discimus quo pacto Estenses investituras Imperiales

 a Lu-

a Ludovico Bavaro tunc hoste infensissimo S. Sedis, atque a COMACLENSIBUS juramentum fidelitatis & deditionem obtinuissent, ut scilicet sese confoverent in perduellione, atque invasione: & dominium Ferrariæ, districtus & Comitatus ejusdem a Sede Apostolica auferrent. Id ipsum colligitur ex facto COMACLENSIUM, qui rursus anno 1319. Ravennatibus juramentum fidelitatis dederunt teste Rubeo lib. 6. pag. 534. quod probat præcedentibus annis COMACLENSES Ferrariæ ejusque Vicariis paruisse, alias si illi perseverassent ab anno 1309. quo Rubeus pag. 520. simile & ultimum juramentum Ravennatibus præstitum scribit, usque ad id tempus, Legatos non misissent, qui fidelitatem novam jurassent. Tandem diris & bello sacro Estenses exagitati, ad Apostolicæ Sedis obedientiam anno 1332. redierunt & decennalem Vicariatum Ferrariæ adepti sunt. Videamus quibus verbis & pactis hunc decennalem Vicariatum Joannes XXII. iisdem concesserit.

§. 9.

Pacta & conditiones, quibus Estenses habuerunt Vicariatum Ferrariæ cum Comacio a Jo: XXII.

Jo: XXII. tradit in Bulla, Estenses præsumpsisse *Civitatem Ferrariam, ejusque districtum & jurisdictionem cum mero & mixto imperio ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pleno jure spectantes invadere*. Nuncios Estensium coram officialibus Sedis Apostolicæ & pluribus Episcopis & Archiepiscopis recognovisse, quod *prædicta Civitas Ferrariæ, ejusque districtus cum omnibus juribus & pertinentiis eorumdem ad plenum jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinebant, & quod ipsi Estenses in potestate & dominio ac mero & mixto imperio Civitatis prædictæ & districtus ejusdem jus aliquod non habuerant nec habebant*, exceptis mobilibus & bonis stabilibus, quæ de jure ad eosdem pertinebant *in Civitate prædicta, ejusque diœcesi & districtu, ita tamen quod reservatio hujusmodi referri non possit ad jus, jurisdictionem vel dominium Civitatis, Comitatus & districtus prædictorum*. Addit præterea relaxationem interdicti *in dicta Civitate, ejus Territorio seu districtu* publicati, & impositis gravissimis pœnitentiis Estenses omnes & fautores ac Cives Ferrariæ ac districtus absolvit a pœnis & censuris jam latis. Legatoque Apostolico in illis partibus executionem commisit. Obizo Estensis eo anno nomine suo & Raynaldi fratris coram Bertrando Cardinali Legato rata habuit quæ Procuratores sui egerant, juravitque ac solemniter recognovit, *quod Civitas Ferrariæ, ejusque districtus cum omnibus juribus & pertinentiis eorumdem ad plenum jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinebant, & pertinent*: quodque ipse & Marchiones Estenses in ea *Civitate & districtu* nullum jus habuerant nec habebant, exceptis bonis stabilibus,

-libus & mobilibus, declarans hanc reservationem referri nusquam posse *ad jurisdictionem vel dominium Civitatis, Comitatus, vel districtus prędictorum.* Promisit se restituturum *Castra, Terras, seu alia loca, quae ad Romanam seu Ravennatensem* Ecclesias spectabant, per ipsos Marchiones detenta & tempore decennii, *ad quod Dominus Papa ipsos decrevit Vicarios ordinare, & per ipsum D. Legatum fuerint ordinati in Vicarios dictae Civitatis Ferrariae, ac Comitatus, & districtus ejusdem*, promisit suo & fratris nomine se soluturum quotannis decem mille florenos auri. Decennio autem elapso Romanae Ecclesiae statim se restituturum *Civitatem, Comitatum & districtum praedictos cum suis juribus, & pertinentiis universis*, & iisdem verbis fidejussores ab ipso dati sese obligarunt.

§. 10. Ferrariensis Vicariatus complectebatur COMACLUM.

Ex his facile colligimus Vicariatum concessum Estensibus & deinde ad multum tempus a Summis Pontificibus prorogatum, nedum *Ferrariam, ejusque Territorium & Comitatum*, sed & *districtum* universum cum omnibus juribus & pertinentiis illius Civitatis, Comitatus, & *districtus* amplecti, neque restringi posse ad *Comitatum* vel *Territorium* tantum; sed extendendum ad *districtum* & universa jura & pertinentias ejusdem districtus & Civitatis, & ad alias Civitates & Oppida, quae dicto Vicario, tanquam Ferrariae Principi parebant; inter quas Urbes COMACLUM eo tempore fuisse ex superius deductis clarissime constat. Immo idipsum etiam eruitur ex confessione ejusdem Obizonis Estensis, qui in instrumento jam adducto ita ait: *gaudere permittent Nuncios, Archiepiscopos, Abbates, Priores, Clericos saeculares & Regulares sublatis impedimentis quibuslibet, omnibus libertatibus, reditibus & juribus in Civitate Ferrariae & districtu, & Comitatu ejusdem & in Marchionatu & districtu Estensi & hoc idem specialiter intelligi voluit esse promissum quantum ad ea, quae Praelati habent in praedictis Civitate, Comitatu, Marchionatu & districtu vel extra, scilicet Ferrariensis*, COMACLENSIS, *& Adriensis Episcopi & alii quicunque & quaecunque Ecclesiae & personae saeculares, ecclesiasticae, vel regulares*. Haec verba clarissime ostendunt Ferrariensem, COMACLENSEM & Adriensem Episcopatus in *districtu* Ferrariae stetisse, nam cur quoad praedictos Episcopos speciatim promissum fuisset, & non pro aliis, quando satis per pactum generale jam provisum fuerat omnibus Praelatis & Ecclesiasticis; nimirum etiam jam nominatis, haud quaquam intelligi posset, nisi affirmemus praedictos Episcopos Ferrariensem COMACLENSEM & Adriensem fuisse speciali nota dignos, utpote habentes omnia Ecclesiarum bona in *districtu* & sub *juris-*

dictio-

ditione Ferrariensi, quam Pontifex decennali Vicariatu Marchionibus Estensibus concesserat.

§. 11.
Fidejussio Comaclensium pro Estensibus non excludit illos a districtu Ferrariæ.

Contra hoc instrumentum opponunt fidejussisse pro Azone Communitatem Florentiæ præter Comaclensem & Adriensem, quasi hæc fidejussio ostendat eas Civitates, quæ fidejusserunt, non fuisse Apostolicæ Sedi subjectas, aut in Vicariatu Ferrariensi inclusas. Verum hoc futile est, quandoquidem in Regno Neapolitano & alibi passim scimus Communitates pro dynastis & Baronibus, quibus subsunt, fidejubere favore Regii Fisci vel Regiæ Cameræ: neque id mirum est cum hæc fidejussio obliget non Civitates ipsas, sed bona propria & particularia Communitatis, Opidi, sive Civitatis: quæ bona non sunt de dominio Principis supremi. Ergo hic actus nobis nequaquam officit, nec fidejussio facta ibidem a plurimis Civibus & Mercatoribus Ferrariensibus pro iisdem Marchionibus Estensibus probat, eos Cives & Mercatores non fuisse sub Vicariatu Ferrariæ.

§. 12.
Comaclenses tanquam de districtu Ferrariæ orant Clementem VI. ut Vicariatum Ferrariensem Estensibus proroget.

Finito decennio hunc Vicariatum cum iisdem pactis prorogavit Estensibus Clemens VI. anno 1344. qui in Bulla ait, se annuisse, *plurium Communitatum Civitatum illarum partium nostrarum & ejusdem Romanæ Ecclesiæ devotarum humiliter supplicantium supplicationibus inclinatum*. Hoc loco Papa explicat plures Civitates *illarum partium nostrarum*, videlicet sibi subditas & alias Sedi Apostolicæ devotas supplicasse pro Estensibus. Atqui ex eadem Bulla patet Florentinos, Mutinenses, Ferrarienses, Adrienses, & Comaclenses ea de re preces Pontifici porrexisse & pro Estensibus fidejussisse de solvendo censu ac restituendo Vicariatu Ferrariæ, Comitatus & *districtus* cum omnibus eorum juribus & pertinentiis, finito tempore. Jam scimus quæ essent Civitates subditæ Sedis Apostolicæ, quæ supplicaverant & quæ essent illi devotæ. Si demas Comaclum & Adriam a subjectis, una tantum Ferraria superfuisset, cui verba illa: *plurium Civitatum illarum partium nostrarum* referri possent: nam neque Florentia aut Mutina, quam ad Imperium spectare Estenses affirmant, dici poterant Urbes illarum *partium* subditarum Sanctæ Sedi, sed tantum devotæ, quo pacto Urbes subditæ, quæ supplicassent, non fuissent *plures*.

§. 13.
Anglicus Cardinalis describi curat Comaclum, tanquam Civitatem S. Sedi subjectam.

Vicariatu prædicto adhuc durante Cardinalis Anglicus delegatus a Gregorio XI. Vicarius generalis Status Ecclesiæ in temporalibus, anno 1371. universam Romandiolam jussu Pontificis visitavit, descripsitque Urbes & loca in eadem Provincia sita, ad Romanam Ecclesiam pertinentia: inter quæ visitato Co-

MA-

MACLO, illud designavit, addens, quod eam Civitatem tenebat *Dominus Marchio de Ferraria*, sicut describens Ravennam, addidit etiam, quod eam tenebat *Dominus Guido de Polenta*: qui eam Urbem in Vicariatum a Sede Apostolica tunc obtinebat, aliasque Urbes & opida semper expressis iis, qui ea regebant: quod probat COMACLUM sub Vicariatu Estensibus concesso comprehensum & ad Romanam Ecclesiam pertinuisse. Neque *clandestina* nuncupari potest hæc visitatio & descriptio: nam actus factus a Legato Pontificio, a Cardinali, palam & postquam literæ ejus commissionis datæ ad explendum hunc actum recitatæ fuerant prius Bononiæ coram Consilio generali ejus Urbis, quibus interfuerant Nicolaus & Hugo Estenses Ferrariæ Vicarii, dici nequit clanculum gestus, sed palam & scientibus Estensibus, qui utique si COMACLUM ab Imperio recognovissent, aut tunc reclamassent, aut sese hujuscemodi actui opposuissent.

§. 14. Delphinus Abbas COMACLUM visitat tanquam urbem S Sedis. Sixtus IV. Venetis iratus, quod COMACLUM districtus Ferrariç urbem Herculi I. Estensi abstulissent.

Item sub Martino V. Delphinus Abbas Casanovæ designatus a Sede Apostolica in Terris & Provinciis *Exarchatus* & Romandiolæ Romanæ Sedi subjectis generalis Collector fructuum, jurium & proventuum ejusdem, etiam nominatim pro COMACLO sub die 3. Augusti 1419. ab Episcopo Magalonensi Locumtenente Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Camerarii delegatus fuit. Quare hinc elucescit ea ætate omnibus innotuisse, COMACLUM ad Sedem Apostolicam spectare & sub Vicariatu Ferrariæ inclusum. Hic rerum status ad Pontificatum usque Pauli II. duravit: qui Vicariatum prædictum cum omnibus juribus, pertinentiis, Comitatu, districtu & territorio in Ducatum erexit. At cum postea Veneti eum Vicariatum armis opprimerent & Hercules I. Dux Ferrariæ auxiliaribus copiis fretus vim Venetorum sustinere non posset, Sixtus IV. Pauli II. successor in Bulla data 10. Kalendas Junii anno 1483. relatis iis, quæ fecerat, ut Veneti a bello desisterent, & literis, quas illorum Duci pro pace direxerat, Venetos anathemate perculit, eorum Civitates interdicto supposuit, dirisque affecit *donec & quousque Hercules Dux præfatus quocunque eorundem Venetorum impedimento sublato Comitatum, districtum, Castra & loca ipsa* (Vicariatus scilicet Ferrariensis) *possidere valeat liberè, pacificè & quietè, prout facere solitus erat* ante bellum prædictum. Minatus etiam est easdem pœnas subditis Venetorum, necnon aliis, qui se non opponerent, *ne Veneti nostram Civitatem Ferrariensem & loca quæcunque dominii dicti Ducis Ferrariensis occuparent*. Cum Veneti ab hac Constitutione Sixti ad futurum Concilium appellassent Sixtus IV. eos III. Idus Julii eodem anno 1483. solemniter damnavit & majoribus pœ-

nis

nis affecit. Rubeus lib. 7. pag. 641. ad annum 1481. & 1482. poſtquam plura opida Sanctæ Sedis, immo Ravennam ipſam in poteſtatem Venetorum veniſſe memoraſset, inter loca per Venetos invaſa COMACLUM etiam deſcribit, aitque: *Per hoſce dies Martinus a Cinta, Antonius & Martinus Thomaſii Cymaclienſes Cives ſuo & Cymaclienſis Reipublicæ nomine eam Urbem Angelo Æmiliano Veneto Claſſis Præfecto dedere.* COMACLUM tunc poſſidebant Eſtenſes, Adriam quoque, quam Venetos tunc invaſiſſe ſatis perſpicuum eſt. Ergo ſi Sixtus IV. in Venetos cenſuras vulgavit, eorumque Urbes interdicto ſubjecit donec Dux Ferrariam ejusque Comitatum, diſtrictum, nempe loca ipſa libere, pacifice & quiete iterum polliderer, quemadmodum ante bellum poſſidere conſueverat; quisque videt, omnes Urbes & loca, quæ Veneti occupaverant, & ad dictum Ducem pertinebant, fuiſſe de *diſtrictu* & pertinentiis Ferrariæ. Veneti ergo occupaverant COMACLUM & Adriam, Urbes per Eſtenſes tunc poſſeſſas. Et tamen non Imperator, nec Imperium in Venetos quicquam egit; ſed Pontifex, ad quem unum Dux Hercules pro ope imploranda confugerat.

§. 15. COMACLUM a Venetis Vicariatui Ferrarienſi reſtitutum.

Sed contra adducunt, anno 1484. pacem initam fuiſſe inter Venetos & Ducem in terra Bagnoli, ubi Policinum Dux Hercules Venetis ceſſit, ideoque etiam Adriam in eodem territorio ſitam, ex Sabellico Ennead. 9. lib. 7. Bruto hiſt. Florent. lib. 7. pag. 397. & 416. Quare ſicuti Dux in hac pace diſpoſuit de Adria contenta in diplomate Rudolphi I. ita & potuiſſe diſponere de COMACLO hariolantur; vel ſaltem ex prædictis patere Adria non fuiſſe potitos Duces Ferrariæ ex conceſſione Summorum Pontificum. Verum incaſſum hæc adducuntur; nam hæc pax inita eſt inſcio Sixto IV. qui pro virili egerat, ut Venetorum occupationem averteret, & audito nuncio de hac pace dum in extremis ageret, ita Legatis Principum reſpondit: *Obtulerunt Veneti alias Legato noſtro Apoſtolico Cæſenæ agenti multo æquiores conditiones, tam nobis, quam veſtris Principibus utiliores. Honor dabatur huic Sedi, qui nunc adimitur: capta hinc inde opida noſtræ fidei mandabantur: obſides nobilitatis illius Primates* (Venetorum ſcilicet) *ad nos mittebantur expectaturi judicium noſtrum de Peninſula Ferrarienſi nulla tunc fiebat mentio* (ita nuncupavit Papa Policinum, quod Venetis ceſſum a Duce fuerat) *horum aliquid non affertis modo, ſed contra, ignominiæ & dedecoris pacem nunciatis*, teſte Jacobo Maffeo Volaterrano Sixti familiari, in Diario, quod ſervatur MS. in Bibliotheca Vaticana n. 3925. Curnam *dedecus*? Curnam *ignominia* Sanctæ Sedi? Quia ſcilicet

Dux

Dux Policinum Rhodigii ad Sedem Apostolicam jure directo spectans & de pertinentiis Ferrariæ, Venetis cesserat, inconsulto Pontifice. Paucos post dies obiit Sixtus IV. pridie Idus Augusti 1484. Verum anno 1509. Alphonsus I. pactis hujus pacis spretis, armis Policinum recuperavit: quod paulò post iterum amisit, dum Veneti illud & COMACLUM etiam invaserunt: quod postea, Policino retento, dimiserunt, teste Guicciardino lib.8. pag. 210. 225. & 226. At cur id factum extollitur, quando constat neque Imperatorem hanc pacem firmasse, neque Imperium illi assensum dedisse. Adria aut Ecclesiæ Romanæ, aut Imperio olim suberat: non enim ad Ducum Ferrariæ supremum jus pertinebat. Sicut vero hic actus Imperio non obfuisset, ita nec Ecclesiæ: & sicuti hæc cessio non concluderet, Adriam ad Imperium non pertinuisse, si reapse ad illud spectasset; ita nec idem concludit respectu Ecclesiæ Romanæ, ad quam revera pertinebat. Sed ajunt Venetos adhuc Adriam possidere. Respondemus, Imperium pati plures Principatus, Civitates & Provincias, quæ juris Imperii dicuntur, ab aliis pacificè possideri: nec tamen ex hoc deduci putabunt eas Urbes & Provincias ad Imperium non pertinuisse. Conringius in libro de finib. Imperii ejus jura salva fore proclamat. Summi quoque Pontifices ne bella excitarent, ne nova dissidia conflarent, neve Respublica turbaretur, ejusmodi res dissimulare satius esse duxerunt. At non ideo jus suum se amisisse, aut non habuisse facile concedent. Immo notissimum est, Julium II. in fœdere, quod anno 1511. iniit cum Venetis & Hispaniarum Rege, nullam mentionem habuisse Policini Rhodigii, quod Veneti detinebant, ne factum probaret, ut videre est apud Guicciardinum lib.10. pag.269. à t.

§. 16. Hercules I. Estensis solvit censum Sanctæ Sedi pro Ferraria & COMACLO.

Alexander VI. anno 1501. Herculem Ferrariæ Ducem integravit Ducatu Ferrariæ, quo a Sixto IV. privatus fuerat. Sed Ferrariam in nobilem Ducatum instar Provinciarum quarumcunque erexit, illamq; cum *districtu* & pertinentiis suis universis Herculi eidem & successoribus concessit, reducto canone ad ducatos aureos *centum* tantum. Solvit Hercules censum anno 1502. non pro Ferraria solum, sed etiam *pro nonnullis aliis Civitatibus, Terris & locis pro Sancta Romana Ecclesia in temporalibus Vicarius Generalis & pro censu & recognitione dominii Ducatus ac Civitatum, Terrarum & locorum prædictorum*. Ergo patet Vicariatum præter Civitatem Ferrariæ, alias quoque Civitates continuisse. Si autem demamus COMACLUM & Adriam, desiderantur aliæ Civitates sub Vicariatu prædicto comprehensæ: non enim alia est Civitas, quæ designari possit præter præfatas, quas ad Sedem

P Apo-

Apostolicam pertinuisse & spectasse vulgaverat Rudolphus in Bulla aurea, & in quibus jus dixisse Vicarios constitutos Ferrariæ a Roberto Rege paulò ante Vicariatum concessum Estensibus, jam satis superque probavimus.

§. 17.

Census soluti Sanctæ Sedi pro Ferraria & COMACLO ab Alphonso I.

Audivimus in Conventu jactari, eo anno Ducem Herculem I. vita jam functum fuisse, ideoque sine ejus mandato & perperam actum solutionis census fuisse completum. Sed res longe aliter se habet: nam Dux Hercules I. obiit anno 1505. teste Sardo hist. Ferrar. lib. 10. pag. 326. Mandatum vero Procuræ ejus vere exhibitum fuit,& apocham plenariæ securitatis recepit Bertrandus Costabilis Orator & Procurator ejusdem Ducis, uti refertur in eodem apochæ seu quietantiæ instrumento. Hercule è vivis sublato censum solvit anno 1506. iisdem verbis Dux Alphonsus I. ejus filius, qui obiit anno 1534. & apochæ securitatis plenariæ referuntur a Domino Abbate Fontanino pag. 109. Ergo verissimum est quod sæpe repetivimus, sub Vicariatu præter Ferrariam alias Civitates contentas, sive eæ essent de districtu, sive de juribus & pertinentiis Ducatus, secundum investituras, quæ districtum, jura & pertinentias continent.

§. 18.

Julius II. privat Ducatu Ferrariæ & COMACLO Alphonsum I. quod salinas COMACLI contra leges feudi fabricasset.

Anno 1510. postquam præcedenti anno Dux Alphonsus I. recuperaverat Policinum, & inde paulò post illud etiam amiserat, & COMACLUM è Venetorum manibus eripuerat, fretus fœdere icto cum Gallorum Rege, sal in Comitatu COMACLI fabricare cœpit. Julius II. Summus Pontifex id vetuit, interpellavitque, ut se sisteret coram Senatu Cardinalium, ejusque rei rationem redderet, tanquam gestæ contra leges feudi, in detrimentum Fisci Apostolici & ignominiam Sanctæ Sedis. Ita narrant Petrus Martyr Anglerius lib. 23. epist. 442. & 443. Jovius lib. 3. pag. 264. & lib. 2. pag. 36. in vita Leonis X. Guicciard. lib. 9. pag. 325. Verum cum Alphonsus armis usurpatum jus tueretur, Julius II. anno 1510. eum privavit Ducatu & universis ejusdem pertinentiis ac anathemate perculit. In Bulla tunc publicis typis edita plura notatu digna occurrunt, quæ rem hanc illustrant. Narrat enim Julius Alphonsi facinus in hunc modum: *in grave damnum Ecclesiæ Romanæ sal in Comitatu* COMACLENSI *ad dictam Ecclesiam legitimè pertinente, quod ipse impudenter negare non erubescit, fabricari facere &c.* Narrat etiam se eum interpellasse, ut a sale fabricando abstineret: quod & Scriptores laudati testantur. Subdit deinde: *Ducem ingratè elevatum sal in dicto* COMACLENSI *Comitatu fabricare in gravem dictæ Romanæ Ecclesiæ læsionem* ausum fuisse, & Summum Pontificem ipsum *super hujusmodi salis fabricatione coram Magno Consilio Regis Galliarum ad judicium evocare non* eru-

erubuisse. Quare eundem veluti contumacem privavit *Vicariatu & Ducatu Ferrariæ, Terrisque, Civitatibus, Castris, Opidis, fortalitiis, locis, juribus & jurisdictionibus, quæ quovis modo obtinebat*. Et infra: *Civitatesque, Castra, Opida, Terras, fortalitia, loca & alia omnia prædicta confiscata fuisse & esse* declaravit; devolutum esse ad Romanam Ecclesiam edixit *Vicariatum Ferrariæ cum omnibus Civitatibus, Castris, Opidis & feudis, quæ a dicta Romana Ecclesia quomodolibet obtinebat*. Absolvit a juramento fidelitatis omnes *Incolas & habitatores dicti Vicariatus, Ducatus, Civitatum, Terrarum, Castrorum & Opidorum prædictorum*. Insuper Alphonsum *& alios privatos Ferrariensis & aliarum Civitatum Comitatus, Terrarum, Castrorum & locorum Vicariatus & Ducatus hujusmodi, Universitates ac Arcium Castellanos ac Civitatum & locorum hujusmodi Incolas* requisivit, ne excusationem ullam afferrent. Vetuit, *ne Alphonsus & alii privati ac Castellani prædicti de cætero de Ferraria & aliis Civitatibus, Terris, Castris, locis & Arcibus Vicariatus & Ducatus hujusmodi jam devolutis* disponerent. Jussit Castellanos *Ferrariam & alias Civitates, Terras & loca Vicariatus & Ducatus hujusmodi* a Sede Apostolica subtrahere: & si secus factum fuisset, *Ferrariam & alias Civitates, Terras, Castra & loca Vicariatus & Ducatus hujusmodi* interdicto supposuit. Tempore interdicti jussit Ecclesiasticos omnes, quibusdam exceptis, infra tres dies *a Civitatibus & Diœcesibus Vicariatus & Ducatus hujusmodi* discedere. Demum mandavit omnibus *Civitatibus, Castris, Terris & locis Vicariatus hujusmodi*, sibi & successoribus suis obedire.

§. 19. Julius II. de Comaclo tanquam suo disposuit.

Ex dictis clarissimè educitur Julium II. de Comaclo tanquam suo disposuisse; nam illud ad Romanam Ecclesiam pertinere manifesto declaravit, & sub feudo ac sub Vicariatu Ferrariæ comprehensum. Palam quoque fecit in eodem Vicariatu inclusas Ferrariam & alias Civitates, Terras, Opida & loca, & quidem non Urbes nomine tenus, sed Episcopales, ut patet ex verbis superius notatis: ubi alias Civitates, Diœceses proprias habentes sub Ferrariensi Vicariatu comprehensas fuisse pronunciavit. Sed demptis Comaclo & Adria præter Ferrariam nullius Urbis Episcopalis in illis partibus sitæ legimus Estenses Dominos fuisse, eoque minus tanquam Vicarios Ferrariæ ullam aliam rexisse. Julius II. vetuit Ducem Alphonsum sal fabricare Comacli. Cur id egerit apparet ex Bulla, scilicet quod Comaclum esset Urbs ad directum dominium Sanctæ Sedis pertinens & in feudum Alphonso I. concessa, ut testantur uno ore illius ætatis

Auctores, nempe Petrus Martyr Anglerius, Jovius, Guicciardinus & alii ſuperius relati, narrantes id a Pontifice factum, quod contra jus ſupremi dominii Dux ſal fabricare tentaſſet. Quæ vero ſequuta ſint ea ex Bulla Hiſtoricorum teſtimonia nos docent. Scimus quippe Alphonſum coram Magiſtratibus Gallicis Julium II. citaſſe, ut is hujuſcemodi prohibitionis rationem redderet. At cur Dux non ad Tribunal Imperiale, ſed ad Gallicum confugerit, non intelligitur. Quis credere poteſt Alphonſum Comaclensis ſalis avidum, non quidem dixiſſe, ſed putaſſe ſibi licere ſal fabricare Comacli, quod eam Urbem ab Imperio recognoſceret, quando nec ille cogitavit de Imperatore interpellando, ſed ad exterum Regem, exteraque Tribunalia Pontificem trahere voluit, ut hoc pacto non jure, ſed ſumma injuria jus invaſum tueretur? Alphonſus non adduxit jura Imperii, ſed ut declinaret ſententiam privationis jam a Pontifice latam, blateravit, in Inveſtituris ſibi non fuiſſe interdictum ſal fabricare, teſte Jovio in Alphonſi vita pag. 17. En verba: *De Comaclenſibus autem ſalinis, quibus non plane eſſet interdictum, diſerte & cumulatim ita ſatiſfaciebat, ut ſe ſtatuturum judicio Collegii quæſtorum Pontificii ærarii polliceretur*. Subinde vero Cardinalis Hippolytus Ducis frater, qui eo abſente Ducatum regebat, rem clariſſimam agnoſcens, loca, in quibus cœptum erat ſal fabricari, ita jubente Pontifice, diruit, teſte Caſpare Sardo hiſtor. Ferrar. lib. 11. pag. 215. editionis anni 1646. Immo Alphonſus ipſe obtulit ſal fabricatum Comacli ſe Julio daturum; & impoſterum ſe Pontifici obtemperaturum, teſte Guicciardino lib. 9. pag. 335. & 341. Ergo poſt latam a Julio II. ſententiam, ut pœnas declinaret Alphonſus faſſus eſt, ſe ſal Comacli fabricare non poſſe: quæ probant eundem agnoviſſe Comaclum ad Sedem Apoſtolicam pertinere. Poſt mortem vero Julii II. & Leonis X. libellum edidit Carolo V. inſcriptum, ubi acerrime conquerens de injuriis, ut falſo quidem ajebat, ſibi ab utroque Pontifice illatis præſertim in re Comaclenſi, nuſquam tamen adduxit titulum ullum Inveſtituræ Imperialis, unde tueretur jus ſal fabricandi Comacli: immo ſe juſsa Pontificis feciſse vulgavit; cum tamen pro duobus Caſtris Finalis & Sancti Felicis, ſuper quibus Iulius etiam controverſiam moverat, Inveſtituram Maximiliani I. Cæſaris palam jactare non omiſerit. Ignotus utriuſque Pontificis vindex in Reſponſo contra ſcriptum Alphonſi I. vulgato jura Sanctæ Sedis publicavit: Comaclum ad ejus directum dominium pertinere dixit, ſalis fabricationem, utpote de regalibus, non ad ipſum, ſed ad Pontificem ſupremum Dominum Comacli ſpectare; ſententiam Iulii II. ju-

justam & promissionem ab Alphonso factam de non fabricando in posterum sale COMACLI, debitam de jure feudali fuisse, proclamavit. Et tamen nemo tunc ausus est id dominium COMACLI Sedis Apostolicæ in dubium vocare.

§. 20.

Hadrianus VI. pro supremo COMACLI Domino se gerit in pactis cum Alphonso I. initis circa Sal COMACLENSE.

Leone X. vita functo Hadrianus VI. anno 1522. Ducem Alphonsum a pœnis privationis Vicariatus, aliisque per Pontifices decessores inflictis absolvit, iterumque Ducatu investivit, pacto adjecto, quo Dux & successores semper vetarentur Sal COMACLI fabricare absque Summorum Pontificum facultate & mandato sub pœna amissionis Ducatus Ferrariæ & aliorum feudorum, quæ a Romana Ecclesia obtinebant, hoc addito, *quod solus Romanus Pontifex illud* (idest Sal) *ibi* scilicet in Valle COMACLI *fabricare si & quando sibi placuerit, libere posset.* Hinc patet COMACLUM ad Vicariatum Ferrariæ & ad Romanam Ecclesiam pertinuisse, & pertinere optime cognitum: nam quicquid de jure antiquo esset, communis usus invaluit, Salinas esse de regalibus Principis supremi, sive eæ sint in locis fiscalibus sive privatis: nec licere sine speciali Principis concessione eas possidere, testimonio Larreæ Allegat. fiscal. 77. num. 20. tom. 2. Solorzan. de jur. Indiar. tom. 2. alleg. 77. num. 20. Bertrandi Gomez de Sale lib. 2. pag. 73. aliorum. Ergo si unus Romanus Pontifex juxta pactum Investituræ Salinas COMACLI possidere voluit, is unus Sal fabricare; neque Duci, neque aliis Principibus id licuit; manifestum fit regale jus & supremum dominium COMACLI, prout revera semper fuerat, ad solam Romanam Ecclesiam pertinuisse. Quod si Dux sine facultate Pontificum eas Salinas possidere non poterat, sique Sal fabricasset, caducitatis pœnam subire debuit; nemo est, qui non agnoscat Ferrariæ Duces COMACLUM beneficiario jure Sedis Apostolicæ detinuisse.

§. 21.

Carolus V. agnoscit & declarat COMACLUM ad Sedem Apostolicam pertinere.

Hadriani VI. pactum laudavit Carolus V. in notissimo Laudo, quod ex compromisso facto per Clementem VII. Hadriani successorem & Alphonsum I. anno 1530. publicavit. Compromiserant enim in Carolum Cæsarem Pontifex & Dux, *omnes, & singulas eorum controversias hactenus inter eos ortas, seu quæ oriri possent, & specialiter de & super quibuscunque Civitatibus etiam Ducalibus, Opidis, & locis cujuscunque generis sint, tam per Sedem Apostolicam, quam per ipsum D. Ducem aliquando quovis modo possessis.* Carolus sententiam tulit, qua censum solvendum pro Ducatu Ferrariæ auxit ad summam ducatorum auri septem millium, damnavit Alphonsum ad solutionem scutorum aureorum centum millium, & sub hac lege pronunciavit a Clemente VII. investiendum eundem de Ducatu Ferrariæ cum suis pertinen-

nentiis juxta formam solitam & consuetam, hoc addito: *declarantes insuper, quod dicta Capitula Papæ Hadriani in reliquis omnibus, in quibus per præmissa non est immutatum, observabuntur, & tenebitur prædictus Sanctissimus dicto Alphonso de supradictis Capitulis cum immutatione antedicta tradere & dare Bullam sub plumbo, quam idem Hadrianus Papa per Breve promisit*. Quare Imperator id pactum circa Salinas COMACLENSES probavit, mandans observari Capitula & pacta inita inter Ducem & Hadrianum VI. ubi aderat pactum jam relatum, in Laudo non immutatum. Ergo Carolus V. justum putavit, Ferrariæ Duces Sal COMACLI fabricare non posse, solumque per Romanum Pontificem id fieri debere, aut per Duces cum facultate tamen & placito Pontificum: quod idem est ac declarare COMACLUM ad Sedem Apostolicam pertinere, ejusque regale & supremum dominium illius esse, alios Principes, & Imperatorem ipsum in eo uno Salinas habere non posse dum solus Pontifex ex pacto eas possidere debebat. Accedit in eo Laudo Carolum V. edixisse Mutinam, Regium & Castra Ruberiæ & Cotignolæ ad Sedem Apostolicam non pertinere. Dum itaque Carolus probavit pacta Hadriani VI. in quibus COMACLI Vallium & Salinarum mentio habita fuerat cum declaratione juris regalis spectantis ad Romanam Ecclesiam, nec edixit hanc Civitatem ad Imperium pertinere, quod tamen edixit de Mutina, Regio & ceteris Castris; nemo, qui non cæcutiat, non videt, Cæsarem nec per somnium cogitasse COMACLUM ad Imperium spectare potuisse; Alphonsumque ipsum neque hujusmodi jura hodie jactata excitasse, neque investituras produxisse, sed utrumque jus supremi dominii Ecclesiæ agnovisse; alias quemadmodum Cæsar in eo Laudo Imperio adjudicavit Urbes superius designatas, ita COMACLUM quoque ad illud spectare manifestum fecisset.

§. 22. Laudum Caroli V. comprehendit quæstionem COMACLI.

Hac rei evidentia exagitati Ministri Cæsarei respondent, Cardinalium Collegium tunc id Laudum tanquam nullius momenti respuisse, utpote latum ex compromisso absque eorum consensu. Addunt etiam id compromissum controversias COMACLI non continuisse. At non adducimus id Laudum ad aliquam utilitatem ex eodem trahendam, sed ad unam declarationem animi Cæsarei & ad veritatem educendam: vulgare enim est in jure, ex actu nullo & ex capite nullitatis impugnato declarari animum facientis & ostendi rei veritatem, quam nos tantum assequi volumus. Quid enim juvat Laudum fuisse nullum, & tanquam tale a Sede Apostolica rejectum, si ex eodem probatur, Imperatorem ipsum optime conscium eorum, quæ Julius II. quæque Leo X.

Leo X. & alii Pontifices scriptis mandarant, quæque Alphonsus I. publicaverat in libello inscripto eidem Carolo V., nihilominus laudasse pactum, quo Alphonsus fatebatur jus regale & supremum dominium Comacli Sedis Apostolicæ esse? Cur vero hinc non educitur animus Cæsaris & veritas ab ipso agnita, quod ad Imperium ea Urbs non pertinuisset? Compromissum juxta verba superius adducta comprehendit omnes controversias hactenus inter Pontificem & Ducem subortas, quæque oriri potuissent, & quidem nominatim super omnibus Civitatibus hinc inde prætensis. Quapropter vanum est asserere tunc de Comaclo non cogitatum, præsertim quando in Capitulis Hadriani VI. quæ Cæsar in Laudo probavit, jus regale Comaclum sibi Pontifices vindicaverant, & quando tam solemnis controversia inter decessores Clementis & Ducem pro hac Urbe fuerat suborta.

§. 23.

Alphonsus I. agnovit Sanctam Sedem pro suprema Comacli domina.

Sed contra adducunt, Alphonsum I. diris a Julio III. exagitatum jactasse Comaclum ab Imperio se recognoscere & pactum de Salinis litemque hanc a Pontificibus Alphonso motam, non pertinere ad jus supremi dominii. Alphonsum ab amicis monitum ut Julio pareret, mussitasse coram iisdem, dixisseque se non posse Imperio injuriam afferre, habemus ex Guicciardino lib. 9. pag. 236. & 237. quod etiam discimus ex Julii II. Bulla, in qua traditur Alphonsum non erubuisse supremum dominium Comacli S. Sedi abjudicare. Verum isti fuere primi motus Alphonsi, qui deinde melius consultus, & investituris Imperialibus parum fidens, quas inanes clandestinas, aut omnino agnoverat fictas, licet lacessitus scriptis, factis, dictis, diris & interdictis, nusquam jura Imperii objecit aut investituras hodie jactatas; neque amplius audita est ejus vox quæ supremum dominium Ecclesiæ in dubium vocaret. Immo ipse scriptis, dictis, factisque protestatus est, jussis Pontificis se obsecuturum, diruit loca Salinarum, obtulit Sal jam fabricatum se Julio daturum: neque illud amplius se collecturum in posterum. Pacto deinde cum Hadriano VI. convenit id jus regale ad solos Pontifices pertinere: & compromisso facto sub Clemente VII. in Carolum V. nec cogitavit quidem, ut investituris Imperialibus tueretur Comaclum. Immo in Apologia pro eodem Alphonso sub ipsum belli initium Julio II. porrecta, quæ est apud Calcagninum inter ejus opera pag. 533. 534. & 536. nusquam legitur in dubium vocatum supremum imperium Ecclesiæ, sed e contrario palam factum Salinas, quæ Comacli erant, positas *in agro Ferrariensi*, tanquam de pertinentiis Ducatus Ferrariæ, & præterea in universa Apologia legitur Alphonsum enixis precibus, & quasi supplicem semper rogasse, *ut sibi hoc Salis fructu per te*

(Ju-

(Julium scilicet) *perfrui liceret*: & percepta voluntate Pontificis *a legendo Sale destitisse & Salis conceptacula desiisse*. Quid ergo prodest hæc prima Alphonsi mussitatio in amicorum auribus, si deinde suppressa omnino est scriptis interim publicis, pactis probatis in Laudo Caroli V. tunc in Italia potentissimi summum jus Pontificium palam vulgantibus, dum etiam idem Carolus Mutinam, Regium, Ruberiam & Cotignolam a Sede Apostolica ablatas Imperio vindicavit. Curnam Carolus omisisset Imperio adjudicare Comaclum, si illius jura ea fuissent, quæ nunc esse vulgantur?

§. 24. Pacta inter Pontifices & Duces Ferrariæ de Sale Comaclensi ad supremum dominium referenda.

Æque ac cetera illud vacillat, quod narratur de controversia a Julio II. mota & pactis cum Hadriano VI. initis, quibus sancitum fuit ad unum Pontificem Salinas Comaclenses pertinere, non vero ad Duces Ferrarienses, hæc scilicet non respicere dominium supremum; quasi vero eadem pacta cum Hadriano VI. facta fuerint in *recompensam reductionis canonis*, ideoque volente Alphonso & veluti jure privatorum, compensatione facta hinc inde utilitatis & damni, quemadmodum factum esse dicitur inter Ferrariæ Ducem & Venetos possidentes Cerviam; qui ut sal ibidem collectum distribuere cum emolumento possent, pacto convenerunt cum Ducibus, quod ii Sal in universo Comitatu Ferrariæ & Comacli fabricare nequirent; super quibus mirifice exultant Ministri Estenses. Verum non animadvertunt, se quærere nodum in sirpo, ut rem clarissimam offuscare satagant argumentis prorsus supervacaneis. Siquidem cum probaverimus Salinas de regalibus supremi dominii semper esse & fuisse, quæ Julius II. in Estenses vulgavit ad jus regale & supremum Comacli manifesto pertinuisse noscuntur. Et quidem ubi Julius II. vetuit Alphonsum Sal imposterum Comacli legere sub pœna amissionis feudorum: continuo Alphonsus Pontifici paruit, Salinas diruit, egitque ea omnia, quæ supra retulimus: & Pontifex protestatus fuit Bulla typis vulgata, Comaclum ad Sedem Apostolicam pertinere, illiusque jus regale ad Alphonsum feudatarium neutiquam spectare: neque interim Alphonsus ullum pactum, ullamve compensationem adduxit. Sed e contrario hoc uno argumento se tueri conatus est, in concessione Vicariatus sibi interdictum non fuisse Comacli Sal legere. Ergo usque ad id tempus omnia acta fuerunt a Julio II. jure supremi dominii: atque hæc eadem Alphonsus parendo & promittendo Sal amplius se non collecturum, pro juribus supremis agnovit. Quare certissimum est, pactum cum Hadriano initum ad unum supremum dominium Ecclesiæ referendum; si distinguamus singulas circumstantias pacti.

cti. Idem pactum tria continet. I. Quod in Civitate seu Valle COMACLI Alphonsus & successores nullo tempore possint Sal legere absque Pontificum expressa facultate. II. Quod non possit Dux Sal alibi fabricare in Territorio vel dominio per eum *ad præsens* possesso vel in posterum quomodocunque possidendo. III. Quod unus Romanus Pontifex Sal ibidem libere legere valeat, si, & quando sibi placuisset. Prima pars clarissima est, confirmatque promissionem jam factam ab Alphonso I. ut jussis Julii II. pareret Sal non fabricandi amplius COMACLI, prout ipsemet fassus fuit in Apologia, quam Calcagninus ejus nomine Summo Pontifici porrexit: quod notant etiam historici: ut jam retulimus, ideoque ista pars pacti dici non potest facta ratione *reductionis census*, dum jam promissio similis ab eodem Duce multo antea oblata fuerat Julio II. Altera pars quatenus accipiatur de fabrica Salis in quibuscunque locis & Opidis, quæ Dux ab aliis & non à Sede Apostolica in feudum teneret vel tenuisset in posterum, licet difficultate non careat, respicere posset diminutionem census, qui jam imminutus fuerat ab Alexandro VI. ex superius relatis. Tertia pars pacti clarissima est: neque ad quicquam aliud referri potest. Nam si COMACLUM Imperiale feudum fuisset, nequaquam poterat Dux Alphonsus concedere facultatem uni Romano Pontifici Sal COMACLI legendi, & quidem semper, libere, si, & quando eidem placuisset: neque Carolus V. id pactum in Laudo unquam probasset. Siquidem in jure dari non potest, ut Vassallus regale & supremum jus concedere valeat alteri Principi supremo, a quo illud in feudum non habet, cum pacto præsertim, quo unus ille Princeps regalia exerceat, nempe ad exclusionem supremi Domini. Ideoque hæc pars pacti referri non potest ad census diminutionem; sed ideo solum fuit expressa cum illa privativa, ut denotaret jus supremi dominii in COMACLUM. Secus dicendum foret Hadrianum VI. & successores omnes, qui cum hoc pacto Vicariatum Ferrariensem Estensibus renovarunt, amittere voluisse jus supremi dominii ejusdem Civitatis: quod tamen Julius II. & Leo X. disertis verbis sibi vindicaverant. Siquæ vero *correspectivitas* adfuit, ea referri debet ad exceptiones, quas, uti diximus, adduxerat Alphonsus I. quod scilicet ipsi in investituris interdictum non fuisset Sal legere. Investituræ autem continere potuissent etiam exercitium hujuscemodi juris regalis, nusquam autem pro libitu Alphonsi, ac si ille nonnisi facta reductione census, cum Pontifice constraxisset: & sponte sua ac propria liberalitate id onus sibi imposuisset jus regale Pontificibus concedendi. Sed historia facti jam relata adeo rem firmat,

mat, ut nemo non videat veritatem evidentissimam hodie oppugnari.

§. 25. Exemplum a Venetis petitum de Salinis Comacli, nihil probat.

Jam vero satisfaciendum exemplo a Venetis petito. Duces Ferrariæ dum Cerviam Veneti occupassent, promiserant quidem sese Sal non lecturos in Ducatu Ferrariæ. Sed nunquam pacto caverunt, solos Venetos Sal fabricare posse Comacli & in Ducatu Ferrariensi: quod quidem non tolerassent Pontifices, supremi Domini, neque id Vassallus concedere potuisset ipsum etiam Dominum excludendo; cum præceptum non sit feudatario ex aliquo jure feudali utilitatem non percipere & sibimet propria sponte manus ligare durantibus investituris, idque inhibere quod sibi licere arbitratur.

§. 26. Sal ab Hadriano VI. Duci Ferrariensi promissum, probat supremum dominium S. Sedis.

Nec quicquam obest, in dictis Capitulis Hadriani VI. Ducibus Ferrariensibus promissos fuisse quotannis duodecim mille & quingentos saccos Salis distribuendos in eorum dominiis & Territoriis hac conditione quod tantum impensam factam pro fabrica Salis, ejusque custodia solvere tenerentur. Id enim potius indicat exercitium regalis & supremi juris Sedis Apostolicæ, quæ Ducem tantum Sale suo, Vassallis suis distribuendo, uti voluit, addita pœna, quatenus aliter de Sale disponeret, vel aliis locis sibi non subjectis illud distribueret. Quod autem solam impensam Pontifices repeterent, profluit ex largitate Pontificum, qui id lucrum Vassallo suo ultro largiri & remittere voluerunt.

§. 27. Hadrianus VI. & Paulus III. tanquam supremi domini Comacli de Sale cum Estensibus transigunt.

Hanc somniatam *correspectivitatem* Carolus V. in suo Laudo irritam fecit, & pro nihilo reputavit, dum censum auxit ad ducatos auri septem mille, & nihilominus integrum pactum Salis cum Hadriano VI. contractum adprobavit: quod facere juste non potuisset, si hæc facultas legendi Sal Comacli, & interdicta Salis fabrica Ducibus, accidisset ex placito Ducum & *correspective* ad utilitatem, quam ii percipiebant ex censu & canone imminuto. Paulus III. Clementi VII. successor datus in conventionibus anno 1539. cum Estensibus initis, promisit se investiturum Herculem II. Alphonsi I. filium *de toto ducatu Ferrariæ cum omnibus suis pertinentiis, & omnibus aliis locis, Terris, & Castris contentis in investitura Alexandri Papæ VI. & de omnibus juribus Sedi Apostolicæ competentibus, & non aliter, in quibuscunque Civitatibus, & locis per eumdem Ducem possessis, seu quovis modo tentis*. Ex quibus satis colligitur præter Ferrariam, alias etiam Civitates Duces in feudum a Romana Ecclesia tenuisse. Paulus etiam concessit Duci Herculi facultatem Sal Comacli fabricandi *a nome però di Sua Santità e della Sede Apostolica*, e *per dieci anni*,

ni hoc pacto quod medietas ejusdem spectaret ad Cameram Apostolicam, & pro lucro alterius medietatis Dux solveret scuta quinquaginta mille infra prædictum tempus in creditum Cameræ computanda hoc addito, *che la Camera Apostolica debba tenere un Commissario, il quale abbia da intervenire a detta fabrica e finaltimento di Sale, & a tutte l'altre cose, che concernano questa faccenda per l'interesse della Camera.*

§. 28.

Julius III. Paulus IV. Pius IV. & V. se gerunt, ut supremi Comacli domini. Estenses per secula IV. Comacli se gesserunt, ut vassalli Sanctæ Sedis.

Hanc facultatem sub iisdem legibus & pactis prorogavit Julius III. anno 1554. & deinde anno 1557. Paulus IV. ad aliud decennium, Pius IV. anno 1563. & Pius V. anno 1566. qui vel prerogationes factas a prædecessoribus confirmarunt, vel novas concesserunt, & quidem immutatis in hac parte Capitulis Hadriani VI. nam medietatem Salis Cameræ Apostolicæ reservarunt, & nomine tantum Sedis Apostolicæ Sal a Duce legendum esse statuerunt, præsente semper Ministro Camerali: quæ res probat nonnisi supremo imperio Romanæ Ecclesiæ totum id adscribendum & Duces Ferrarienses semper Comacli pro Vassallis Summorum Pontificum se gessisse. Jam vero Ministri Cæsarei opponunt respectu Comacli, Rudolphi I. diploma nullum effectum habuisse; Sedem Apostolicam numquam Comaclum possedisse; Estenses semper eam Civitatem ab Imperio recognovisse. Ego quidem crediderim eorum ora ex prædictis prorsus obstructa, & veritatem ita illustratam, ut supervacaneum sit ad alia minoris ponderis argumenta confugere. Nec tamen alia nobis desunt. Ad evincendum enim Duces Estenses perpetuo recognovisse Comaclum, ejusque Comitatum sub Vicariatu Ferrariæ, ejusque districtu, juribus, & pertinentiis contentum, videantur omnes actus publici, omnia fœdera, omnesque intitulationes, quas cogerit D. Abbas Fontaninus in libro, quem de hac re edidit, a pag. 206. usque ad pag. 219. ubi quidem adductis titulis omnibus, quibus illi etiam Opidula designari curabant, quæ in feudum ab Ecclesia Romana aut Ravennate, vel a Cæsaribus obtinuerant, nusquam legitur expressus titulus, quo Duces spatio quatuor fere seculorum sese Comacli Comites aut Dominos inscripserint; cum tamen Comaclum possiderent. Hoc nulla alia de causa factum pro certissimo habemus, quam quia in iisdem actibus cum sese inscripsissent Vicarios Ferrariæ, ejusque districtus pro Sede Apostolica, eo pacto inscripti putabantur etiam Domini Comacli. Et quemadmodum se numquam appellarunt Dominos ceterorum Opidorum sub dicto Vicariatu contentorum, ita neque Comacli, quia sciebant Comaclensem Comitatum ad jura, pertinentias vel districtum ejusdem Vicariatus pertinere. Sic in Co-

dice Comaclensium, cujus exemplar Ministris Cæsareis tradidimus, innumera exstant edicta, innumeræque leges & ordines & facultates per Duces Comaclensibus concessæ, & respective promulgatæ,& latæ Comacli, nulla unquam facta mentione specialis tituli *Domini*, aut *Comitis* Comaclensis, sed tantum *Ferrariæ Ducis, ejusque districtus*; cum tamen titulus *Comitatus Rhodigii* usque ad nauseam repetitus utramque paginam impleat.

§. 29. Camera Ducalis Ferrariæ non distincta a Comaclensi.

Sed fortasse opponent, expressos esse etiam titulos *Marchionatus Estensis* vel *Ducatus Mutinæ, Regii*, Verum ista inscriptio non facit ad rem: nemo enim affirmavit Comaclum fuisse de pertinentiis illorum feudorum, quorum tituli in prædictis actibus designantur, unde Comaclum, quod Duces tenebant, semper sub titulo Vicariatus, & districtus Ducatus Ferrariæ venisse fatendum est. Anno 1658. a Ministris Estensium plura instrumenta producta fuerunt acquisitionum Vallis Comacli, ubi semper vel acquisitio fit pro Camera Ducali, vel fit mentio canonis & census, qui dictæ Cameræ Ducali solvebatur: vel obligatur Camera Ducatus, vel dicitur contractus initus inter Cameram Ducalem & privatos. Quare in mente Ducum & Ministrorum, Camera Ducalis Ferrariæ non fuit distincta a Comaclensi, si enim Comaclum reputatum fuisset a Ducibus pro feudo separato, & ad Imperium pertinente, utique Duces quæ acquirebant Comacli, & quæ gerebant tanquam illius *Domini*, Cameræ Ducali Ferrariæ nunquam immiscuissent. Titulus autem Comacli *Domini* primo auditus fuit circa medium seculi decimisexti, quo Dux Hercules II. non una de causa cœpit Comacli *Dominum* se inscribere.

§. 30. Ob Comaclum a Clemente VIII. recuperatum nullum actum Imperium vulgavit.

His accedunt gesta sub Clemente VIII.quæ cum relata sint in dissertatione D. Zacagnæ pag.68. & seqq. & a D. Abate Fontanino a pag.245.& pluribus sequentibus,hic repetere non indigemus. Probant autem vindicato per Clementem VIII. Comaclo, Cæsarem nullum actum publicum vulgasse, quo ostenderet eam Civitatem ad jus Imperii pertinere: & Estenses deinde insigni summa recepta pro bonis allodialibus, cum Pontifice tamquam Comacli supremo Domino concordiam iniisse, Vallibus & piscationibus, quas allodiales dicebant, Cameræ Apostolicæ dimissis. Sed contra hæc, quæ evidentissima sunt, adducuntur Investituræ Imperiales, in quibus Comaclum datum dicitur in feudum Estensibus: quibus satisfacio in hoc etiam Conventu observationibus seorsum datis, ut inde Cæsarei Ministri intelligant investituras easdem clandestinas, numquam productas ab Estensibus, nequam Pontificibus objectas, nec servatas, & ab ipso Carolo V. nihili factas, nullius prorsus momenti esse.

OBSER-

OBSERVATIONES

Contra assertas Investituras Estensium a Cæsaribus, ut dicitur, impetratas circa COMACLUM.

SYNOPSIS

Investituræ Estenses de Comitatu COMACLENSI, *quæ passim jactantur, nulli ante medium seculum XVI. unquam notæ; inanes & clandestinæ esse mostrantur.*

§. 1. Idem Conventus diei 25. Septembris 1710.

IN eodem Conventu habito sub die 25. Septembris Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Athenarum de assertis *investituris* COMACLI, quas Ministri Cæsarei supponunt per Imperatores Serenissimis Estensibus concessas fuisse, in hunc modum disseruit.

§. 2. Investitura I. COMACLENSIS a Carolo IV. Estensibus data, refellitur.

Posthabita Investitura, quam vulgasse dicuntur Lotharius I. Ludovicus II. pro Othone Estensi anno 854. quam supposititiam esse ostendunt Defensores jurium Sedis Apostolicæ, præcipue vero D. Abbas Fontaninus, qui ut jam alibi dictum est, hujuscemodi investituræ commentum ad unguem examinat; ceteræ a Carolo IV. ut traditur, aliisque Cæsaribus datæ, nil prorsus Sedi Apostolicæ obsunt. Præmisso quippe quod Rudolphus I. in suo diplomate per declarationem Imperialem, quam voluit esse perpetuam, recognovit, fassus est & oraculo perpetui edicti ad æternam memoriam declaravit, Civitates ibi descriptas, inter quas COMACLUM, ad Romanos Pontifices, Romanamque Ecclesiam *pleno jure, integre*, etiam *in temporalibus*, atque *in solidum*, pertinere, ejusque *pleni juris, ditionis & principatus* existere. Hinc vero deduci manifestam recognitionem veritatis ac rem judicatam & finitam, necnon confessionem Imperialem concludentem nedum dominium, sed & possessionem S. Sedis; jam retulimus in Conventu diei 4. Augusti. Nostra vero sententia est, investituras Caroli IV. & successorum, qui eas confirmasse dicuntur, nullius esse roboris & momenti, cum sint investituræ de re aliena factæ, quas vero Domino non obesse communis schola feudistarum in cap. I. de investitura de re aliena facta plenissime docet. Neque nostra quæstio est, an primo loco, an secundo investitus præferri, an prima investitura an secunda attendi debeat. Nam Romana Ecclesia non habuit in feudum ab Imperio suas Civitates, neque investituras Imperiales unquam adduxit; sed donationes & resti-

restitutiones ab Imperatoribus sibi factas jurejurando firmatas, per Principes Imperii probatas & per solemnem confessionem Rudolphi I. qui palam omnibus fecit post rem discussam & cognitam per declarationem perpetuam, & rem judicatam, eas Civitates & COMACLUM juris Imperii non esse nec fuisse, sed *pleno jure*, atque *in solidum* & *integre* jureque *ditionis* & *principatus* ad Romanam Ecclesiam pertinere. Quamobrem nemo non videt Imperatores, qui Rudolphum sequuti sunt, earum Civitatum, quas ille ad Imperium nullo jure amplius spectare proclamavit, investituras dare non posse nec potuisse. Et sane si postquam Princeps supremus, Imperator præsertim Civitatem vel Castrum aliquod donat, signanter benemerito, subinde illud ipsum alteri in feudum concedat, donatarius semper præferri debet, tametsi concessionario possessio tradita fuisset, per text. in l. prædia Cod. de locat.prædior.Civil. lib.xi. Gaill. pract. obser. lib.2. obser.55. a num.1. ad 7. Tiraquell. de nobilit. cap. 37. num. 56. & qui sequuntur. Sixtin. de regal. lib. 1. cap.5. num.37. Solorzan. de jur. Indiar. lib. 2. cap. 9. num. 11. cum singulare sit in Principe, ut per ejus donationem dominium ipso jure transferatur, & secunda concessio dicatur facta vel ad importunitatem impetrantis, vel per circumventionem & falsam suggestionem, vel ex eo, quod Princeps prioris concessionis fuerit oblitus. Hæc præsumptio est juris & de jure, adeout contrarii probatio non admittatur, quamvis posterior concessio facta sit motu proprio ex plenè cumulatis per eundem Gaill.d.obs.55.n.2. Dedecet enim Principem justitiæ fontem revocare quæ dedit. Immo illi convenit unum habere calamum & unam linguam, ejusque dispositionem ab omni malitia & diminutione remotam, neque aptam ad circumveniendum vel fallendum aliquem, sed recta ac bona fide ornatam, ut prosequitur Gaill. loc.cit. a n. 3. ad 7. Nemo autem non videt quid dicendum sit de Civitatibus non ab uno, sed ab omnibus fere Imperatoribus a Carolo Magno ad Rudolphum I. usque, Ecclesiæ Romanæ Imperii Occidentalis & Cæsarum matri donatis, immo restitutis sub juramento & promissione recuperandi eas, quas alii invasissent, & quidem de donatis cum assensu Principum Imperii & deinde in diplomate Rudolphi assertis tanta solemnitate per modum recognitionis veritatis & declarationis edictalis ac perpetuæ, jampridem de dominio, proprietate, Principatu & ditione Sedis Apostolicæ? Si successores Rudolphi I. potestatem ullam habuissent easdem Civitates in feudum cuilibet dandi, non solum recta & sincera fides & calamus & una lingua Imperatorum non fuisset, sed mala fides diver-

diverſa lingua & Pontificum circumventio ante interfuiſſet: quod dicere aut cogitare nefas eſt. Ideoq; quatenus Inveſtitura Caroli IV. anni 1354. vera eſſet, cum tamen de ea & ceteris non levis ſuſpicio dubitandi urgeat; tamen vel Carolus circumventus fuiſſet, vel ad importunitatem conceſſiſſet vel oblitus eorum, quæ pridem pro Sede Apoſtolica dixerat: aut verius ignoraſſet Rudolphum I. in ſuo diplomate *in perpetuum*, & *ad perpetuam rei memoriam* declaraſſe COMACLUM non ad Imperium, ſed ad Sedem Apoſtolicam *pleno jure* pertinere: quæ præſumptio; ſi ut Gaillus ait, non admittit probationem in contrarium, quando prima donatio & ſecunda conceſsio in feudum ab eodem Principe manarunt; multò minus admittere debet quando, ut in hoc caſu, ſecunda conceſsio profluit a Carolo IV. ab anno 1354. nempe octoginta annos poſt ultimum diploma Rudolphi I. Quis unquam dicet tunc memorem fuiſſe Carolum hujus Rudolphi Conſtitutionis? Quis eum ſciviſſe COMACLUM a Rudolpho Romanæ Eccleſiæ in perpetuum adjudicatum? Quis enim putaſſet ſibi licere actum Rudolphi reſcindere tanquam irritum, erroneum, injuſtum atque vulgatum a Rudolpho decepto per Summos Pontifices? Etenim hæc omnia colligi neceſſe eſt ex Inveſtitura Caroli IV. ſi concludere velimus eandem ex certa ſcientia factam contra jus jam inde Romanæ Eccleſiæ quæſitum in COMACLUM, & contra dominium in eam jam translatum. Sed nemo rationis compos hæc facile affirmaverit: nemo ſcit aut revelavit quo pacto ea Inveſtitura prodierit, & præſumptio juris & de jure urget, potius Carolum fuiſſe circumventum & ex falſis ſuppoſitis ſeductum, vel, ut honeſtati impetrantium parcamus, eundem ignoraſſe vel oblitum eorum quæ prædeceſſores & præ ceteris Rudolphus I. verbis clariſſimis edixerant de COMACLO ad dominium & proprietatem Sedis Apoſtolicæ pertinente.

§. 3. Inveſtituræ COMACLENSIS Caroli IV. pugnant cum aliis ejuſdem & præceſſorum Actis.

Hæc ſatis ſuperque eſſent. Verum illud etiam dicendum, Carolum IV. anno 1347. confirmaſse Eccleſiæ Romanæ donationes prædeceſsorum ſuorum, & declaraſse per conceſsiones factas ab Henrico VII. & a Ludovico Bavaro & per juramenta fidelitatum præſtita iiſdem a Civitatibus jam donatis Eccleſiæ Romanæ, nullum præjudicium irrogatum Romanis Pontificibus, immo omnia homagia, recognitiones, occupationes ſeu conceſſiones ab eiſdem factas illum revocaſse, & confirmaſse Henrici VII. Avi ſui literas, earum tenore adducto, in quibus Rudolphi I. Imperatoris jam factæ donationes & conceſsiones Eccleſiæ Romanæ nominatim probatæ fuerunt, ut videre eſt apud Dominum Abbatem Fontaninum pag. 21. & Dominum Zacagnam pag. 54. & 61.

& 61. Quare si Carolus jurejurando nullas, injustas & violentas declaravit Investituras & concessiones Civitatum, quas Imperatores & Rudolphus præsertim Ecclesiæ Romanæ donaverant, factas ab Henrico VI. & Ludovico Bavaro prædecessoribus suis, easque cassavit & revocavit, jam fatendum est ejus quoque concessionem Comacli anno præcedenti Estensibus,& alias quomodocunque ab ipso factas, irritas fecisse, utpote contrarias Bullis donationum Rudolphi I. & Henrici VII. maxime dum easdem jurejurando confirmavit. Hæc enim confirmatio donationis Rudolphi sine ulla immutatione aut diminutione, manifestum facit Carolum IV. factum Rudolphi non impugnasse, immo probasse, quemadmodum egerat Henricus ejus Avus, cujus literas suis propriis inseruit. Pugnant autem inter se, Investituram Comacli Estensibus datam salvam haberi, & donationem Rudolphi, in qua Comaclum ad Ecclesiam, non ad Imperium spectare decernebatur, posse pro vera & legitima reputari.

§. 4.

Alia Investitura Comaclensis a Carolo IV. Estensibus data, refellitur.

Adducitur etiam Carolum IV. anno 1361. aliam Investituram Comacli concessisse, nimirum post juramentum mox memoratum. Sed cur Estenses adeo solliciti fuerunt, ut ab Imperatore intra spatium duodecim annorum unius ejusdemque Civitatis binas Investituras impetrarent, non intelligitur. Res sane non modicam suspicionem ingerit, patetque ex his Investituris Estenses earum primam pro certa non habuisse. Et tamen Carolus IV. anno 1368. ut morem gereret Urbano V. id postulanti vulgatis iterum literis Henrici Avi, in quibus factum Rudolphi probatur, iisque denuo confirmatis, iterum omnes eas Civitates & Provincias ad Ecclesiam Romanam pertinere sententia declaravit, pronunciavit, recognovit & finiit, & quidem spectare cum omni plenitudine & plenissimo jure, decernens omnes occupationes & invasiones & concessiones aliter factas tota illa ætate, qua Romani Pontifices extra Italiam exulaverant, nempe usque ad annum 1375. irritas esse, nulliusq; momenti, afferens etiam, eas omnes Civitates & Provincias se dimissurum libere & nullo unquam tempore occupaturum vel occupari permissurum, uti legitur in pag. 62. & 63. Domini Zacagnæ. Quamobrem rescissa & irrita facta est præcedens Comacli concessio: & Carolus IV. aut scivit aut ignoravit Comaclum in diplomate Rudolphi, & per consequens in literis Henrici VII. illius confirmatoriis inclusum. Si scivit, jam habemus per contrarium actum, quo is omnes Civitates in eo comprehensas dimisit, atque etiam occupatas; immo dum neque se occupaturum, aut ab aliis occupari permissurum spopondit, eam concessionem tunc abrogatam. Si ignoravit, quod præsumi

sumi omnino debet, uti jam diximus, hæc secunda, fuit concessio supervacanea & inanis. Nec novi aliquid afferimus contra Serenissimos Estenses assuetos hujusmodi clandestinas Investituras obtinere, ut inde dominium Sanctæ Sedis intervertere meditarentur: nam Pigna ejus nobilissimæ gentis factorum Scriptor, refert Investituram Marchionatus Anconitanæ Provinciæ ab Othone IV. Estensibus datam, cum tamen palam sit eosdem Marchiones ejus Marchionatus Investituras a Sede Apostolica ab antiquissimo tempore accepisse, & Fridericum II. Ottonis IV. successorem eum Marchionatum, eamque Provinciam, Rudolphum I. etiam, Henricum VII. & ipsum Carolum IV. ad Romanam Ecclesiam pertinere recognovisse & jurejurando affirmasse. Sed eandem Investituram & reliquas adductas vel adducendas ex Archivo Estensi extractas Apostolica Sede non admittit; tumque solum eas pro veris habet, cum in Regestis Imperialibus in Archivis publicis Imperii servatis easdem reperiri cognoverit. Sacrosancta enim ea affirmat, nec tenetur credere scripturis eductis ex Archivo Principis, qui est vassallus Imperii, cujusque majores fuerunt etiam Romanorum Pontificum eo tempore, quo Investituras prædictas habuisse dicuntur. Idque factum scimus cum inter Carolum V. Alphonsum I. Ducem Ferrariæ & Clementem VII. similis res ageretur, tunc enim partes convenisse scimus credendum Scripturis non ex Archivo Estensi, sed ex illis Romanæ Ecclesiæ & Imperii extrahendis, teste Cardinali Pallavicino in histor. Concil. Trident. nam vassalli Tabularium non est legale, nec probat contra supremos Principes. Demum ut tempori parcamus, videnda sunt quæ Dominus Zacagna a pag. 143. ad pag. 159. Dominus Abbas Fontaninus in Dominio Sanctæ Sedis in COMACLUM a pag. 173. ad pag. 198. referunt: eas enim vel apocryphas vel inefficaces aut clandestinas & oscitanter aut ignoranter datas omnino concludimus, atque adversari juramentis præstitis, confirmationibus donationum præcedentium factis ab iisdemmet Imperatoribus, qui Investituras dedisse dicuntur. Illud vero notandum est, Estenses Pontificum jussis, diris & interdictis percussi, quod Comaclensibus vel talleas & vectigalia imponerent vel sal in eo territorio legere auderent; publicis etiam tabulis exagitati, in quibus Romani Pontifices eos COMACLUM in feudum ab Ecclesia Romana detinere manifestum fecerant, & tandem per Clementem VIII. COMACLO privati ipsi nec scriptis, nec libellis ad has Investituras unquam confugerunt nec eas produxerunt. Immo nec ad Magistratus Imperii Pontifices evocarunt,


runt, sed ad Tribunalia extera Gallorum, verentes proculdubio, ne si earum nomen a Pontificibus auditum fuisset, Vicariatu Ferrariæ privarentur. Quantum ergo obesse possint juribus Pontificum hujuscemodi Investituræ sub pallio celatæ & clam habitæ, nunquam spacio plurium seculorum adductæ, & quarum nomen nusquam auditum fuit, jam viderint qui eis tantopere confidunt.

§. 5.

Investituræ Comaclenses Sigismundo, Friderico III. & Carolo V. adscriptæ, rejiciuntur.

Sed neque earum mentionem ullam fecerunt Scriptores illi, qui singulos actus referunt, quos Sigismundus & Fridericus III. Imperatores in Italia gesserunt, a quibus de Comaclo Estenses investiti fuisse dicuntur. Suntque ex iisdem Scriptoribus, qui solemnitatem Investiturarum, quas ii Imperatores Estensibus dederunt, sigillatim describunt, referentes nomina Urbium & locorum, Castrorum etiam, vexilla pro singulis Urbibus designandis elata, nomina personarum, quæ interfuerunt rei, & minutissima quæque narrarunt: siquidem solemnitati aderant & tamen Comaclum nusquam ab iis proditum est, aut eius nomen auditum, quando tamen nomina Rhodigii & Castrorum inferiorum accuratissime expressa leguntur. Quare non sine fundamento nimium quantum dubitare licet de iisdem Investituris vel saltem affirmandum ideo Comacli nomen palam suppressum, non sine impetrantium arte, ne Romanis Pontificibus ea res innotesceret. Carolus V. dicitur & ipse similem Investituram Herculi II. dedisse quando Joannes Etropius, qui præsens aderat, & sigillatim scribebat in Diario suo quæ Carolus gerebat, refert hanc Investituram, nominatis Civitatibus & Opidis, Comacli nomine suppresso, & tamen meminit Castrorum Ruberiæ & Carporum, quæ Opida cum Civitate Episcopali Comaclo non sunt comparanda. Sed præterea Carolus ipse jam ex libellis ipsi ab Alphonso I. Estensi inscriptis, responsisque a Sede Apostolica datis, in literis quoque Julii II. satis agnoverat Sedem Apostolicam Comaclum sui juris asseruisse, neque Alphonsum id negasse, & a Julio illi interdictum sal Comacli legere, jussisque Julii Alphonsum paruisse. Postea cum Hadriano VI. eum convenisse, unum Pontificem sal Comacli colligere posse: quæ uti alibi diximus, ad supremum dominium Ecclesiæ referri tantummodo queunt. Hæc omnia sciebat Carolus V. cum Laudo suo Mutinam, Regium, Castrum Ruberię & Cotignolæ Imperio adjudicavit, non vero Comaclum. Immo pactum illud, quo cautum erat, ad solos Pontifices sal Comacli legendi potestatem spectare, servandum esse edixit, quemadmodum in hoc Conventu ostendimus. Duces quoque ipsi tam in fœderum pactis, quam in ipsis actibus Coma-

CLI gestis nunquam se *Comites* aut *Dominos* COMACLI inscripserunt, neque hoc titulo ante rem vitiatam unquam uti consueverant. Ex his palam fit, priores ex his Investituris, quibus posteriores nituntur, clam habitas, nunquam palam factas & ab Imperatoribus pro nihilo reputatas fuisse, potiusque usurpationis, quam concessionis nomen mereri, tanquam re non cognita, tempore quo Cæsares hostes erant Romanæ Ecclesiæ, & pene omnem eius ditionem invaserant; Pontificibus Romanis non auditis, immo ignorantibus datas. Universa etiam Italia nunquam agnovit aut scivit Ferrariæ Duces COMACLUM possidentes & jussis Pontificum etiam COMACLI parentes, dominium supremum COMACLI ad Cæsares & Imperium retulisse.



DISCUSSIO II.

Super Articulo III. de possessione Comacli penes Apostolicam Sedem tempore diplomatis Rudolphi I. & post idem diploma.

SYNOPSIS

Ulterius probatur, Comaclenses *Apostolicæ Sedis imperio paruisse anno* 1278. 1279. *& sequentibus usque ad primum Ferrariæ Vicariatum per Estenses a Sede Apostolica impetratum : & respondetur objectis .*

§. 1.
Conventus diei 2. Octobris 1710.

IN sessione diei 2. Octobris 1710. ita respondit Reverendissimus D. Archiepiscopus Athenarum iis, quæ in Conventu diei 25. Septembris cumulaverant Excellentissimus D. Legatus Cæsareus & Illustrissimus D. Regens Caroellus ad probandum Romanam Ecclesiam post diploma Rudolphi non possedisse Comaclum.

§. 2.
Comaclenses supremo Ecclesiæ Romanæ dominio suberant anno 1279.

Ajebant autem non constare anno 1279. quo editum fuit diploma Rudolphi I. Comaclenses Romanæ Ecclesiæ dominio temporali paruisse : quod tamen adversatur historicæ veritati ex Rubeo adductæ in Conventu diei 11. Septembris, qui lib. 6. pag. 458. prodit anno 1279. Comaclenses denuo jurasse *fidelitatem*, *obsequium*, *& obedientiam* Ravennatibus se præstituros. Cum itaque ex eodem Rubeo lib. 6. pag. 456. atque ex epistolis Nicolai III. aliisque Præpositi Soliensis Ablegati Cæsarei ad Ravennates scriptis, appareat Ravennates anno 1278. juramentum fidelitatis præstitisse Romano Pontifici, hinc in eodem Conventu educi affirmavimus, Comaclenses Ravennatibus tunc fidelitatem jurantes, eandem Sedi Apostolicæ Ravennatum Dominæ supremæ jurasse. Ruit autem quod traditur de Ravennatibus, illos nimirum Comaclum ab Imperio habuisse : nusquam enim gentium id constat : & Rubeus, qui singula ad nauseam usque adnotavit, nunquam ausus fuit hoc affirmare. Nec quicquam facit Ottonem IV. Fridericos I. & II. Henricos Cæsares Archiepiscopis Ravennatibus Comaclum dedisse. Nam in Conventu, qui sequetur, eritque die 9. Octobris probaturi sumus diplomata eorumdem Cæsarum non fuisse *investituras*, ut eas male appellant, sed simplicia *privilegia* confirmantia jam habitas donationes factas Archiepiscopis per Romanos Pontifices, ut inde in motibus Italiæ tunc

tunc vigentibus Ravennates Archiepiscopi possent bona Ecclesiæ sub Imperiali protectione tueri. Ravennatibus Civibus & Reipublicæ Ravennatium nil commune cum Archiepiscopis erat & concessio illis facta contra Ravennates clamabat, nam ii non potuissent sibi usurpare dominium, quod Cęsares Ecclesiæ Ravennati dedissent. Ergo juramentum Ravennæ præstitum a COMACLENSIBUS, quod quidem fuit juramentum *fidelitatis*, *obsequii*, *& obedientiæ*, uti Rubeus testatur, & non clientelæ simplicis, ut sine teste & perperam dicitur, adscribi non poterat concessionibus Cæsarum, quibus illud adversabatur. Hæc cum clarissima sint, probant, COMACLENSES ab anno 1279. ad annum 1283. & dein ad annum 1297. subjectos Ravennatibus, qui nullum prorsus titulum a Cæsare obtinuerant, per organum & medium Ravennatum, subjectos fuisse Sedi Apostolicæ ex regula feudali, quam falsum est impugnari a Card. de Luca de feudis disc.60. num.13. ubi nil prorsus super hoc scribit. Hæc veritas colligitur ex pacto, quo sese Ravennates Summis Pontificibus dederunt, qui iis permiserunt ut sibi Rectores eligerent, vectigalia, & portorium exigerent, *& plecterent eos, qui in Ravennati ditione maleficia perpetrassent*. Quæ itaque Ravennates gesserunt seu vectigalia exigentes, seu Rectores eligentes, vel crimina plectentes in propria ditione, & sic COMACLI, gesserunt, ex permissione Pontificum & ex pacto in deditione ipsa expresso.

§. 3.
Protectionum privilegia cum *Investituris* male confusa.

Ad evertendam rei veritatem hucusque adductam, quamplurima in unum commiscentur, quæ adversarios nihil aut parum juvant. Repetuntur concessiones ab Imperatoribus Ravennati Ecclesiæ præcedenter factæ & diplomata, in quibus ajunt COMACLENSES subditos Imperii appellatos. Sed hæc cum pertineant ad articulum de possessione ante diploma Rudolphi, & ad sessionem diei 9. Octobris illuc ea, quæ in hac sessione addecta fuerunt discutienda remittimus. Ibi enim quæcumque argumenta opponuntur exsufflata patebunt, cum diplomata non contineant *investituras* aut *concessiones feudales*, sed privilegia illa, quæ Cæsares ea ætate Ecclesiis fere universis largiebantur sub protectione sua recipientes Castra, Urbes, prædia, & bona privata, etiam a privatis concessa. Præterquamquod maxima pars prodiit temporibus illis, quibus Cæsares in schismate vivebant, hostesque erant Romanæ Ecclesiæ, Urbes ei donatas a Carolo Magno, Ludovico Pio, cunctisque successoribus contra juramentum ab ipsis præstitum invaserant, easdemque Urbes ac Regiones, quas ante diploma & in ipso diplomate Rudolphi Imperator fassus est ad Ecclesiam Romanam spectare, abrogato juramento per eas Cancel-

cellario suo indebite præstito. Quare ad rem universam confundendam non merentur adduci actus aut eronei aut abrogati, aut hostili tempore & in schismate gesti, aut privilegia & probationes meras præseferentes.

§. 4. Comaclum seu Ravennæ seu Ferrariæ paruerit, semper S.Sedis dominio paruit.

Sed & alia congeruntur, nempe juramentum anno 1264. per Comaclenses Ravennatibus datum, aliud Polentanis, anno 1297. aliud Estensibus 1325. At nos disputamus de possessione post diploma Rudolphi & adducimus juramentum fidelitatis & obedientiæ per Comaclenses Ravennatibus præstitum anno 1279. immediate post diploma Rudolphi, & non aliud anno 1264. ante illud datum, de quo nihil omnino. Polentani Cives Ravennates, Sanctæ Sedi suberant, & ii, qui anno 1308. nomine Clementis V. Ferrariam a Tyrannis invasam recuperarunt, uti ex Rubeo in Conventu diei 25. Septembris probatum est, qui etiam anno 1278. una cum aliis Civibus Ravennatibus fidelitatem Romanæ Ecclesiæ, revocato juramento, exhibito in manibus Cancellarii Rudolphi I. juraverant: & si quid præcedenter invaserant uti potentes in motibus illarum partium, etiam dimiserant. Estenses vero quo pacto occupaverint Ferrariam & Comaclum, atque Comaclenses in deditionem anno 1325. attraxerint, quando jam pulsis militibus Roberti Regis Ferrariam invaserant, nos retulimus in Conventu diei 25. Septembris, ubi satisfecimus iis, quæ nunc mirum in modum confusa recitantur. Id unum jure negare nemo unquam poterit, nempe Comaclenses sub jurisdictione Ravennatium ab anno 1279. statim a dato diplomate per Rudolphum, ad annum usque 1297. fuisse: & sic sub jurisdictione & dominio Sedis Apostolicæ, cui tunc parebant Ravennates, qui ex permissione Pontificum in ditione universa Ravennati, cujus tunc erant Comaclenses, eam jurisdictionem exercuerunt, ut toties jam diximus. Idipsum educitur ex diplomate Rudolphi I. in quo solemniter declaratur & recognoscitur, Ravennam & Comaclum, aliasque Urbes ibidem designatas ad Ecclesiam Romanam *pleno jure*, *insolidum* & *jure ditionis* & *principatus* pertinere: quod idem est, ac fateri, Comaclum jure proprietatis & possessionis tunc ad Romanos Pontifices spectasse, quod centies probavimus.

§. 5. Diploma Rudolphi I. ubi adest Comaclum, per omnia ab Electoribus confirmatum.

Hoc evidenti argumento exagitatus eruditissimus D. Regens Caroellius, respondit in diplomate Electorum Imperii ea verba *pleno jure*, *insolidum*, *& jure principatus*, *ac ditionis* desiderari. Sed in diplomate Rudolphi ea verba diserte exprimuntur & probant confessionem & recognitionem solemnem Cæsaris, & quidem Cæsaris illius, quem Austriaca Augustissima Domus aucto-

rem

rem suum agnoscit. Electores autem non debebant omnia verba, clausulas & confessiones emissas & enunciatas in diplomate Imperiali repetere & satis fuit eos consensisse & quidem diplomati, ut fecerunt, nam nedum consenserunt simpliciter, sed ratum habuerunt quicquid per Rudolphum *ipsi Nicolao Papæ III. & ipsi Romanæ Ecclesiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum, & de novo donatum, declaratum, sive concessum, juratum & actum, seu factum est, per privilegia, vel quæcunque alia scripta quorumcunque tenorum super recognitionibus, confirmationibus, approbationibus, donationibus, factis, seu gestis*. Hæc verba approbant etiam confessionem & recognitionem veritatis per Rudolphum palam factæ in suo diplomate ad probandum dominium & possessionem Ecclesiæ Romanæ. Declararunt insuper Ravennam & COMACLUM, aliasque Civitates ibidem descriptas ad Romanam Ecclesiam pertinere approbantes in omnibus ea, quæ Rudolphus gesserat; quod verbum *pertinentibus* in diplomate Electorum expressum declarat dominium & possessionem juxta glossam in Cap. *dilectus* verbo *pertinere* de fid. Instrum. quam sequuntur Menoch. conf. 21. num. 4. Bertazol. clauf. 26. glof. 13. num. 1. Caldas de empt. cap. 22. num. 22. & alii Jurisconsulti communiter: unde Electores etiam in suo diplomate declararunt COMACLUM ad Romanos Pontifices *pleno jure & insolidum*, & sic *jure proprietatis & possessionis* spectare. Si autem vera essent, quæ contra adducuntur, scilicet COMACLUM ad Imperium pertinuisse, nunquam Sedem Apostolicam ejus Urbis possessionem nactam; donationes etiam Ludovici Pii & successorum effectu caruisse, & Imperium semper eam Civitatem posedisse, falsum esset id quod Rudolphus & Electores in suis diplomatibus recognoverunt, & ad æternam rei memoriam fassi sunt, nempe COMACLUM ad Romanam Ecclesiam pertinuisse & pertinere.

§. 6.
Investituræ COMACLENSES annorum 1297. 1325. tanquam ab Imperio impetratæ, nunquam visæ.

Neque subsistit Estenses anno 1297. & 1325. quibus invaserant Ferrariam atque COMACLUM, titulum ab Imperatore accepisse. Quippe nusquam vidimus titulum, quin neque audivimus nomen Imperatoris, qui tunc eum titulum concesserit. In omnibus Conventibus fassi sunt Ministri Imperiales Rudolphum nullam investituram COMACLI Estensibus concessisse, licet jactaverint eum Adriam & Gabellum iisdem post diploma nostrum largitum. Adulphus & Albertus, qui iis temporibus Rudolpho successerunt non dederunt COMACLUM in feudum Estensibus, quin Albertus confirmavit, & e contrario se observaturum promisit omnia ea, quæ Rudolphus pater favore Ecclesiæ Roma-

næ

næ jam gesserat, declaraverat, recognoverat & donaverat. Quare ignoramus a quo Imperatore anno 1297. & 1325. Estenses titulum habuerint, nisi adducatur Pignæ commentum, qui fabulatur anno 854. Othonem quendam Estensem Comitatu COMACLI investitum: quod quidem commentum plene in Conventu diei 9. Octobris confutabimus.

§. 7.

COMACLENSES fidelitatem jurarunt Estensibus, tanquam Ferrariæ invasoribus. Robertus Rex tanquam Vicarius Romandiolæ, jus dixit COMACLI.

Porro si in hoc Conventu asseritur Fridericum I. & II. & Ottonem IV. COMACLUM Ecclesiæ Ravennati confirmasse; scimus etiam Rudolphum anno 1279. edixisse eam Urbem ad Romanos Pontifices pertinere. Investitura relata per Pignam supposititia undequaque probatur: neque ea potuit confirmare titulum Estensibus, qui jam ante annos quadringentos a die jactatæ Investituræ Ludovici II. deditionem a Comaclensibus anno 1325. obtinuerunt. Itaque verissimum est, Comaclenses fidelitatem jurasse Estensibus, quia ii tunc Ferrariam invaserant, eaque ætate COMACLUM erat de districtu vel pertinentiis Ferrariæ, ejusque Vicario parebat, ut infra patebit. Adduximus ad id probandum literas Roberti Regis, quibus ille instante Episcopo Comaclensi mandavit Nicolao Caracciolo Vicario suo Romandiolæ, ut restitui bona Ecclesiæ Comaclensi ablata curaret. Respondetur nunc has literas non probare exercitium jurisdictionis in Comaclenses: & potuisse Officiales Pontificis etiam in Terris Imperii jus dicere, quando agebatur de restituendis bonis Ecclesiæ Comaclensi, quæ tyranni & potentes illa ætate usurpaverant. Sed responsio utraque nutat, nam quis unquam putaverit Episcopum COMACLI ad Tribunal Roberti confugisse & ab eo petiisse restitutionem bonorum Ecclesiæ suæ & compulsionem occupantium, si Iudices & Ministri, quos Robertus uti Vicarius Ecclesiæ Romanæ constituerat in ea Provincia, nullam jurisdictionem in Comitatum Comaclensem exercere valuissent? Quis unquam dixerit Robertum nugatorium mandatum & ridiculam commissionem Vicario suo cognoscendi hanc controversiam, invasores compescendi & justitiam faciendi, dedisse? Nemo prorsus: atque ideo in re tam antiqua ipsæ literæ, ipsum mandatum & recursus Episcopi probant COMACLUM sub potestate Roberti fuisse. Altera responsio sponte sua ruit, nam Robertus tam ratione personæ, quam ratione dignitatis nullam prorsus jurisdictionem in Terris Imperii contra Ecclesiasticas personas & pro bonis Ecclesiarum obtinebat. Erat Laicus & mandatum dedit Caracciolo militi laico. Erat *Vicarius Pontificis in temporalibus*, quemadmodum seipsum inscripsit, atque ideo nullam jurisdictionem in bona Ecclesiarum & Clericos exercere poterat in terris Imperii: quin neque in ipsa Pro-

Provincia, quam administrabat: nam & ipsi Estenses fuerunt Vicarii Pontificis & Ecclesiæ in Civitate Ferrariæ: illi de Ruvere in districtu Urbinati, & Duces Camerini, quin & ipsi Reges Neapolis, pluresque alii in aliis Provinciis Ecclesiæ Romanæ, qui tamen nusquam Ecclesiasticam jurisdictionem exercere potuerunt.

§. 8. Anno 1313. COMACLUM Ferrariæ parebat.

Præterea quis divinavit, eos, qui invaserant bona Ecclesiæ Comaclensis, fuisse Clericos? palam enim est Laicos potentes ea occupasse, & proinde usurpatores vocandi erant coram Iudice laico, cum Ecclesia esset actrix, ex nota regula Canonica in cap. si Clericus Laicum de for. competent. Constat ergo Episcopum COMACLI ad compescendos Laicos ad Roberti Tribunal confugisse. Id ipsum evincit factum ipsorum Estensium, qui anno 1313. ut vindicarent bona COMACLI sita a dicto Roberto Rege obtinuerunt committi causam Adenulpho de Aquino, quem Rex Vicarium Ferrariæ constituerat: & comparentes coram eodem institerunt, sibi per Fiscum Pontificium restitui Vallem Caldiroli, fatentes & probantes illam sitam in districtu Ferrariæ: & ea de re sententiam impetrarunt. Hoc probat Vicarium Ferrariæ jurisdictionem exercuisse in Comaclensem Comitatum, COMACLUM Ferrariæ paruisse & COMACLI territorium fuisse tunc ab omnibus creditum de districtu Ferrariæ.

§. 9. Jo. XXII. quæ egit in Estenses, egit ut Pontifex & Princeps supremus Ferrariæ & COMACLI, & non ut gerens vices Imperii.

Iterum plura objiciuntur ad veritatem hanc ex facto ipsorum Estensium deductam obnubilandum, sed tamen incassum; dicitur quippe Ioannes XXII. in schismate Ludovici Bavari gubernacula Imperii suscepisse & Imperialem jurisdictionem sibi vindicasse. Actum ideo præfatum jurisdictionis, quam exercuit Vicarius Roberti Ferrariæ in COMACLI territorium, referendum ad hanc Summi Pontificis opinionem. Verum historia evincit oppositum: nam Io. XXII. creatus est Pontifex anno 1316. & Robertus postquam anno 1310. fuerat constitutus a Clemente V. Rector Romandiolæ cum facultate deputandi Vicarium, & juramentum fidelitatis præstiterat die 7. Octobris ejusdem anni in manibus Arnaldi Cardinalis de Pelagrua ex Raynaldo ad annum 1310. §. 19. & 20. & Baluzio in vitis Paparum Avenionensium tom. 1. pag. 645. finito tempore jam statuto anno 1313. ob motus Ferrariensium refractariorum creatus fuit per eundem Clementem V. Vicarius Ferrariæ, ejusque districtus & pertinentiarum cum onere solvendi annuum censum, uti scribunt Ptolemæus Lucensis, & Baluzium tom. 1. pag. 50. Raynaldus ad annum 1313. §. 36. & Pigna histor. Estens. lib. 4. pag. 241. Hujus rei meminit ipse

Robertus in epistola, quam dedit ad Patavinos apud Albertinum Mussatum de gestis Henrici VII. lib.11. pag.59. in qua se a Clemente V. constitutum Ferrariæ Vicarium, ac in ea Civitate Vicarium suum delegasse memorat. Caspar Sardus histor.Ferrar. lib.5. qui pag.94. ait: *onde temendo il Cardinale Pelagrua, che non si levasse perciò al governo della Chiesa, diede la Città a Roberto Rè di Napoli. Egli fatta rendere la roba ad Azzo e Bertoldo, mandò Vicario Adenulfo d'Aquino con una squadra di Catalani per guardia della Città.* Ergo patet non posse hunc actum referri ad jus Imperiale administratum per Ioannem XXII. cum anno 1313. de quo quærimus, Clemens V. viveret, Ioannes XXII. Pontificatum non gereret, & Ludovicus Bavarus vix Imperator electus esset. Nam is in discordia Electorum factus est Romanorum Rex mense Augusti ejusdem anni 1313. Habemus ergo titulum clarissimum eductum ex Vicariatu Ferrariæ Roberto concesso per Clementem V. jure proprio & tanquam Dominum ejus Civitatis, non autem ex administratione juris Imperialis, quam Clemens nunquam susceperat. Ego vero nescio qua fronte (quod pace clarissimorum virorum, qui hæc scripserunt, dictum sit) adscribatur tyrannidi Vicarii Roberti jurisdictionis actus, quem is in COMACLUM exercuit, cum tamen constet de titulo Ecclesiæ Romanæ, quem tot Imperatores recognoverunt, & ipse Rudolphus ac Electores Imperii paulò ante palam fecerant, edicentes Ferrariam & COMACLUM ad Romanam Ecclesiam pleno jure pertinere. Gesta vero per Polentanos, Venetos, atque Estenses nullo titulo munitos, quin contra diplomata Imperialia & Electoralia proclamantia non ad hos, sed ad Ecclesiam Romanam eam Urbem pertinuisse & pertinere, justa, & legitima fuisse jactantur præ omni jure Sedis Apostolicæ. Sed hæc paradoxis proxima a cordatis viris nunquam intelligi poterunt.

§. 10.

Vallis Caldiroli Estensibus adjudicata per Judices Ferrarienses, fuit & est in agro COMACLENSI, testimonio eorundem Estensium.

At non sine admiratione audivimus negari Caldiroli Vallem sitam esse aut fuisse in agro COMACLENSI: nam res vero verior negatur, quam Cæsar Estensis Dux Mutinæ auctor Estensis familiæ, quæ nunc viget, fassus est anno 1613. die 28. Februarii per acta Hieronymi de Nobilibus Ferrariensis, probaturus quænam Valles essent in Territorio COMACLI & quinam limites ejus Territorii, decem Testes, inter quos plures exstant Nobiles Ferrarienses & COMACLENSES, adduxit, qui omnes uno ore comprobarunt, Vallem Caldiroli sitam *in Territorio* COMACLI, & intra fines ejus districtus, addentes hanc rem fuisse notoriam; fines etiam Comitatus COMACLENSIS, locationes ejus Vallis uti de pertinentiis COMACLI factas a Ducibus, & alia, quæ palam faciunt

eam

eam Vallem in COMACLENSI positam. Quare vix mente comprehenditur cur hodie Estenses Ministri immemores eorum, quæ dudum gesta fuerunt per suos Dominos, tanta confidentia veritatem impugnent, quam ii fassi & probare conati sunt, ac notoriam esse proclamarunt, ac Cæsareos Ministros ejus rei ignaros, impulerint ad asserendam hanc Vallem extra fines COMACLENSES haberi. In processu quoque anno 1658. exhibito iidem Estenses freti Gallorum præsidio petentes COMACLI Valles, tanquam bona allodialia, cum Ministris Sanctæ Sedis convenerunt, hanc Vallem in agro COMACLI positam & folium ex condicto publicis typis exaratum ediderunt ita inscriptum: *Fatto concordato sopra le Valli di* COMACCHIO, ubi Caldiroli Vallis expressa legitur. Quinimmo ipsi Ministri Estenses, ut probarent eam Vallem emptam & acquisitam per auctores Ducis Mutinensis, adduxerunt processum ætate Roberti Regis confectum, in quo hæc ipsa Vallis describebatur. Hinc argumenta in contrarium adducta undique ruunt; non quidem propterea quod eodem anno 1658. Advocati Ducales negaverint eam Vallem in agro COMACLENSI positam; nam ad id evincendum adducitur folium incertum, æquivocum, neque tunc, quod sciamus, exhibitum, vel profecto, ex Testibus per Ducem Cæsarem adductis anno 1613. quos superius retulimus, postea revocatum. Quippe deinde inter se convenisse scimus Ministros Pontificios & Estenses, ut folium concordi animo exararent, ubi omnes Valles COMACLI describerentur, & præsertim illa Caldiroli. His itaque putamus satisfactum etiam Altogrado Cons. 4. num. 27. tom. 2. ubi solum negat Valles COMACLI fuisse in Territorio Ferrariensi, non vero in COMACLENSI: quare hic auctor frustra in medium adducitur. Argumentum eductum ex Sardo lib. 5. pag. 94. & 95. poterat omitti: nam ea ætate, qua Salinguerra Ferrariam invaserat, COMACLENSES ad Ravennates defecerant, uti dictum est in Conventu diei 25. Septembris. Quare nil mirum, si Salinguerra Ferraria expulsus COMACLUM divertit: quæ Civitas ob motus eorum temporum tunc Ferrariæ non suberat. Verum hoc non evincit, recuperata Ferraria anno 1309. Vicarium ejus Civitatis & districtus pro S. Sede, non potuisse anno 1313. jurisdictionem in COMACLENSES exercere: quam tamen exercuisse ostendit processus per Estenses productus, in quo Judices Romanæ Ecclesiæ & Vicarius a Roberto Ferrariæ constitutus jus dixerunt COMACLI vel confiscando bona Estensium COMACLI posita, vel prævia sententia ea bona Estensibus restituenda esse jubentes. Adducitur etiam ex eodem Sardo, anno 1317. pulsis Militibus Roberti Estenses Ferrariam invasis-

ſe, & dein anno 1325. deditionem a COMACLENSIBUS,& paulo poſtea a Ludovico Bavaro obtinuiſſe COMACLUM : unde arguitur ſupervacaneam hanc COMACLENSIUM deditionem, atque Imperatoris conceſſionem fuiſſe,ſi COMACLUM ſtetiſſet in diſtrictu Ferrariæ. Hoc argumentum oſtendit,quæcumque aſſeri ad ſolam cauſæ opportunitatem. Confeſſio judicialis tunc coram Vicario Roberti emiſſa & probata in proceſſu per Eſtenſes Marchiones, evincit, Roberti judices Ferrariæ conſtitutos jurisdictionem tunc exercuiſſe in COMACLENSES, & Vallem Caldiroli in agro COMACLENSI poſitam, fuiſſe in diſtrictu Ferrariæ: quod idem eſt ac aſſerere tunc Ferrariam imperaſſe COMACLO: quod ſatis eſt ad eruendam veritatem palam tunc in judicio ab iisdem Eſtenſibus factam, parvipendendo ea, quæ ſequuta ſunt anno 1325. Nam in dicto Conventu diei 25. Septembris jam probavimus ex Rubeo anno 1319. COMACLENSES Eſtenſium imperium excutientes, Ravennatibus tunc Eccleſiæ Romanæ ſubjectis, fidelitatis juramentum præſtitiſſe: unde recens illa deditio eorumdem ſequuta anno 1325. opportuna fuit, ut ii iterum a fidelitate deficerent. Inveſtitura Ludovici Bavari traditur tantum per Sardum,neque hactenus adducta fuit: & etiamſi vera eſſet, nihil contra nos ageret, tanquam ad confovendos Eſtenſes in defectione conceſſa ab Imperatore, hoſte infenſiſſimo Eccleſiæ Romanæ: qui univerſum patrimonium B. Petri invaſerat & de bonis Eccleſiæ Romanæ, ac ceterarum pro arbitratu ſuo diſpoſuerat: quod manifeſtum etiam fit ex iis, quæ ipſe Sardus lib.5. narrat, ubi memorat in ea inveſtitura Eſtenſibus hæc donata fuiſſe: *ebbero Argenta, e pigliarono la contrada di S. Alberto. Queſta contrada ebbero in dono dall' Imperadore inſieme colla riviera di Filo*, COMACCHIO, *la foce di Primoro, e tutte l'altre ville e contrade, che ſono da Argenta ſino al mare: coſe tutte confermate da Carlo IV. ad Aldobrandino III.*

§. 11.

Inveſtituræ Imperiales Eſtenſium ſuper COMACLO & Argenta & aliis Caſtris, ab ipſis nihili factæ.

Jam videamus quæ geſſerint Eſtenſes anno 1332. quo Vicariatum Ferrariæ a Joanne XXII. impetrarunt. Pulſati a Pontifice, ut Caſtrum Argentæ, quod ad Ravennatem Eccleſiam dono Pontificum pertinebat, ei reſtituerent, ita per inſtrumentum publicum coram Legato Pontificio fidem ſuam obſtrinxerunt. *Inſuper cum Caſtrum Argentæ, quod ad Eccleſiam Ravennatem pertinere dictis nominibus confitentur & Claves ipſius jam reſtituerunt Domino Legato prædicto, promittit &c.* & infra *& de bonis, quæ occupationis tempore erant in Caſtro Argentæ pertinentia ad Archiepiſcopum Ravennatem necnon & de fructibus perceptis de dicto Caſtro Argentæ vel bonis pertinentibus ad ipſam Eccleſiam Raven-*

Ravennatem pro tempore, quo ipsum Castrum in rebellione tenuerunt, satisfacere dictis nominibus promisit Archiepiscopo memorato juxta ipsius D. Papæ arbitrium. Quando Marchiones Estenses hæc testabantur, quo orsum abjerant investituræ Imperiales, quibus Argentam contineri nostris temporibus vociferantur? En earumdem reverentiam. En quanti Estenses, qui eas impetrarant, existimarunt. En quomodo, & qua ratione eæ surreptæ fuerunt. Estenses ergo non ad Imperium aut ad se vigore assertæ investituræ, sed ad Ecclesiam Ravennatem bona & Castra in ejusmodi investituris jactata, & præcipue Castrum Argentæ ac bona in eo Territorio sita sese invasisse & *in rebellione* tenuisse solemniter fassi sunt. Eodem pacto in ea investitura, uti Sardus mox adductus memorat, enumerantur Villa S. Alberti, Territorium Fili & alia bona, quę Ravennates semper tenuisse & ad jus Territoriale eorum Urbis pertinuisse, notorium est. Immo constat Villam S. Alberti & Territorium Fili Estenses *accepisse* in feudum ab Ecclesia Ravennate, eique censum pro iisdem Castris & Villis solvisse ad diem usque devolutionis status Ferrariæ. Quamobrem patet investituram hanc, si tamen ea vera est, datam eo animo a Bavaro, ut ita rem universam confunderet, Ecclesiam Romanam & alias spoliaret, cunctaque invaderet in schismate, quod fovebat, eamque ab iisdem Estensibus ipsis minimi factam.

§. 12. Vallem Caldiroli sitam in agro Comacli amplius ostenditur.

Quod Vallis Caldiroli posita esset in Comaclensi agro, arguitur etiam ex Friderici I. jactato privilegio, quamvis illud suppostititium esse jam probatum sit per defensores S. Sedis in libris his de rebus jam vulgatis. In eo namque *Augusta, fossa de Porto usque Caldirolo* in Territorio Comacli designatur. Hoc consonat testibus per Estenses adductis anno 1613. qui id ipsum affirmant, scilicet *Augustam, fossam de Porto & fossam Caldiroli esse in Territorio* Comaclensi. Nec est cur objiciatur in Processu anni 1313. asseri Vallem hanc finitimam *Foveæ Palmerii* ex uno latere, ex alio vero *Communi* Comacli, idemque expressum in sententia per Judices Ferrariæ lata pro Salinguerra, quam refert D. Fontaninus pag. 397. & D. Zacagna pag. 116. & 117. Nam conjecturis, & subtilitatibus non est certandum in re tam clara & quam ipsi Estenses ultro comprobarunt & fassi sunt, decemque Testes per ipsos inducti, reddiderunt. Et quidem illa verba *alio Commune de* Comaclo non designant Territorium ac si Territorium Comacli pro termino datum fuisset; sed bona Communis, idest Communitatis Comaclensis, quæ proculdubio prædia, Valles alias & fundos possidebat. Quare, sicut frequenter evenire solet, bona esse contermina prædiis Communis, *vel Communi* Urbis, hinc non probantur

esse

esse extra Territorium, sed intra Territorium ejusdem Civitatis. Sic in sententia relata id ipsum expressum est: *Item quantum habuit dictus Ubertinus de Capite Caldiroli usque ad Stadium, qui vocatur de Reda cum medietate fluvii Palisoli & cum medietate fluvii Miliarolo usque in Campum* COMACLI. *Item omnes Valles piscariæ & paludis a capite prædicto Caldirolo descendens per Verzenese cum ipso medio Verzenese usque in Campum de* COMACLO. Notandum ex iis Caldiroli Vallem & Caldirolum non fuisse prædium aliquod singulare, uti perperam traditur, sed Vallem latam complectentem plures piscarias & paludes. Notandum etiam ea verba: *usque in Campum* COMACLI, non fuisse adjecta ad designandos fines Caldiroli, sed fluvii Miliaroli aut bonorum positorum in *Verzenese*. Notandum denique laudata verba *usque in Campum* COMACLI non indicare fines exclusivos Campi COMACLI, sed inclusivos ac si dicerentur bona stare intra Campum COMACLI, ex Baldo & aliis relatis per Rotam dec. 683. num. 5. par. 1. rec. Haud mirum itaque si anno 1309. Salinguerra fuit immissus per judices Ferrariæ in possessionem eorum, quæ habuerat *Ubertinus de Capite Cardiroli* usque ad Stadium, necnon *Vallium piscariarum & paludis a capite prædicto Caldirolo*, & anno 1313. Estenses prævia sententia per judices pariter Ferrariæ lata, habuerunt Vallem Caldiroli, quæ spectaverat ad suum parentem, & cum Caldiroli regio plures Valles nuncupatas *di Caldirolo* contineret, ut patet ex sententia Salinguerræ, non repugnat, Salinguerram obtinuisse *omnes Valles piscariæ & paludis a Capite Caldirolo descendendo per Verzenese*, ut in eadem sententia affirmatur; Estenses vero quatuor post annos unam ex Vallibus Caldiroli sitam non in capite, sed in medio, fine, vel alia parte ejusdem regionis habuisse. Sententiam hanc Salinguerræ retulimus ad probandum tunc judices Ferrariæ jurisdictionem exercuisse in Territorium & Homines COMACLENSES. Quare dicebamus COMACLUM ea etate immediate ante Vicariatum a Sede Apostolica concessum Estensibus, sub jurisdictione Vicariorum & judicum Ferrariæ, quos Pontifices deputaverant, & de pertinentiis seu districtu ejusdem Urbis fuisse palam factum ex literis Roberti, quibus is jusserat Ecclesiæ COMACLENSI bona invasa restitui, ex dicto processu anni 1313. in quo Estenses ipsi fassi fuerant Vallem Caldiroli COMACLI positam, ad districtum Ferrariæ pertinuisse, eamque per sententiam a judicibus Ferrariæ latam accepisse, necnon ex hac sententia, quam Salinguerra impetraverat.

Ad

§. 13.
Defenditur sententia pro Salinguerra in bonis Comaclensibus a Judicibus Ferrariensibus lata, tanquam relata ad actum jurisdictionis Ferrariæ in Comaclum.

Ad prosternendam vim hujus sententiæ objiciunt, eam latam in judicio universalis successionis, in quo peculiare est in jure, ut ex bona etiam sita extra districtum in vel Territorium, & ubique posita heredi concedere valeat. Sed textus sententiæ relatæ per Defensores Apostolicæ Sedis huic titulo adversatur, nam ordo sententiæ is est, ut Salinguerra induceretur *in corporalem possessionem infrascriptarum petiarum Terræ & possessionum, tanquam de bonis & possessionibus pertinentibus eidem D. Salinguerræ secundum quod apparet publico instrumento scripto sub signo & nomine Turchetti Notarii, quod instrumentum productum fuit coram D. Antonio de Cesena judice*. Si vero sententia lata fuisset in judicio successionis universalis, immissio data etiam fuisset in omnibus bonis & juribus, nam jura hereditaria sunt æstimabiliora bonis, & præcipuam portionem hereditatis continent: nec datur hereditas sine juribus, licet jura sine bonis: & tamen in hac sententia jura nequaquam expressa sunt & quod magis est, restricta petitio ad infrascriptas possessiones, & sic ad bona singularia, & sigillatim descripta posita in solo Territorio vel districtu Ferrariæ, & non ubique, ut perperam dicitur, & quidem pertinentia ad eundem Salinguerram vigore instrumenti tunc producti. Quis unquam vidit aut audivit in judicio universalis successionis immitti heredem in possessionem bonorum propriorum? Immittitur is in possessionem bonorum hereditariorum & pertinentium ad defunctum non vigore instrumenti specialis, sed titulo testamenti vel intestatæ successionis: & tamen in hoc casu Salinguerra, qui supponitur heres, immissus est in possessionem prædiorum vigore instrumenti, ex quo apparebat ea bona esse propria nullo expresso titulo testati vel intestati. Quare patet sententiam latam in judicio particulari & titulum successionis nunquam in sententia expressum: unde fit non potuisse hanc sententiam ferri per judices Ferrariæ cum inclusione bonorum sitorum in Territorio Comacli, nisi ii jurisdictionem exercuissent in id Territorium, & multo minus sine hac jurisdictione valuisset judex & Assessor Ferrariæ Colonis illorum bonorum præcipere, ut ii statim, sententia lecta, obtemperarent, & Rectoribus ut auxilium præstareut, ac uni ex præconibus, idest exequutoribus Ferrariæ, ut exequutioni mandaret integram sententiam, & bona in ea contenta caperet & ut omnia complerentur *juxta formam Statutorum Ferrariæ*. Hæc probant Comaclum, ejusque Territorium ad districtum Ferrariæ tunc pertinuisse, judicesque ejus Civitatis in Comaclenses jus dixisse. Neque contrarium evincunt ea verba: *primo omnes Terræ & possessiones tam in Terra, quam*

quam in aqua ubique consistant, nam statim restricta sunt ab iis, quæ sequuntur: *quas habuit & tenuit Ubertinus de Ravenna in Pado veteri, incipiendo a confinibus Campi lunghi, dein descendendo usque ad mare, & quicquid inter dictas cohærentias continetur*. Hæc concludunt actum fuisse de prædiis particularibus partim cultis, partim palustribus, & quidem contentis intra fines designatos & sitis in Territorio vel districtu Ferrariæ tantum. Nec est cur dicatur eo anno Prætorem Ferrariæ Venetum & Venetorum nomine jurisdictionem exercuisse. Nam Rubeus qui adducitur pag.518. & 519. id factum dicit anno 1308. cum hoc, quod Veneti solam Præturam haberent, jurisdictionem vero universam & dominium Pontifex exerceret. Anno vero 1309. tam Rubeus pag.520. quam Sardus lib.5. pag.92. qui ex adverso adducitur, narrant eo anno & sub finem dicti anni 1308. Venetos pulsos & Urbem libere Vicario Pontificis datam, omnesque judices per Vicarium Papæ deputatos, solo Potestate excepto, qui esset unus ex tribus designatis per eumdem Papæ Vicarium, electus tamen a Populo & nomine S. Sedis jus diceret Ferrariæ & in omnibus locis, Castris & Terris Civitati subjectis, quemadmodum Sardus eo loco subdit. Quamobrem id argumentum historiæ contradicit. Addunt Rubeum testari eodem anno 1309. COMACLENSES juramentum fidelitatis præstitisse Ravennatibus. Verum is non explicat qua parte anni id evenerit, nam hæc sententia lata est mense Martii & sic sub initium ejus anni, & patet ex ejus lectione in ea contineri plura bona ex Comitatu COMACLENSI, ubi tunc judex Ferrariæ jurisdictionem exercebat: quare deditio facta a COMACLENSIBUS, quæ potuit evenire sub finem ejusdem anni, & post mensem Martii, quæque supponit veritatem eorum, quæ affirmamns, COMACLENSES nempe eo anno & antequam sequeretur dicta deditio relata per Rubeum, Ferrariensibus paruisse, contrarium probare non potest.

§. 14. COMACLUM ad districtum Ferrariæ pertinuit paulo ante Vicariatum Estensium.

Conatur Dominus Regens Caroellus hisce probationibus pressus, in dubium vocare, COMACLUM ad territorium Ferrariense spectasse. At nos id tantum affirmare contenti fuimus, eam Urbem tempore proximo concessioni Vicariatus Ferrariæ per Io. XXII. anno 1332. Estensibus factæ de districtu Civitatis Ferrariæ fuisse, & sub Ferrariensium Iudicum jurisdictione: ex quo duo resultare putavimus, alterum, quod diploma Rudolphi I. exequutioni demandatum fuerit etiam quoad COMACLUM, dum ostendimus ex prædictis, COMACLENSES obtemperasse immediate post illud usque ad concessionem Vicariatus factam Estensibus Vicario Ferrariæ & Iudicibus, quos pro S.Sede is in ea Civitate eligebat,

bat, aut Ravennatibus, qui tunc Apostolicæ Sedi parebant. Alterum, quod ex ipsa concessione Vicariatus, in qua ea Civitas cum omnibus juribus, pertinentiis & universo districtu data fuit per Pontifices Estensibus, patet inclusum quoque Comaclum, dum ea ætate Estenses ipsi in judicio probaverant bona in territorio Comacli posita, esse de districtu Ferrariæ: & documenta jam adducta evincunt Vicarium Pontificium constitutum Ferrariæ jurisdictionem in Comaclenses & eorum territorium exercuisse. Satis est id illo tempore agnitum & communem opinionem hominum, atque etiam Estensium tunc fuisse, Comaclum ad districtum Ferrariæ pertinuisse, ut concessio laudata comprehendens pertinentias universas & districtum contineret Comaclum. Concordes sumus in hoc, scilicet *districtus* nomen magis late patere Comitatu, & complecti Civitates etiam atque Castra extra territorium Civitatis majoris, quæ subsint ejus jurisdictioni & quicquid Civitas ex alieno suæ jurisdictioni addidit ex quacunque causa, ut Felinus, Aretinus, Alciatus & alii relati per Bertazol. clauf.20. glof.23. n.5. definiunt. Quæ si ita sunt, probant ea ætate Comaclum *ad districtum* Ferrariæ pertinuisse, cum Iudices Ferrariæ jus dicerent in Comaclenses, & pateat in Vicariatu Ferrariæ Roberto Regi concesso paulò ante concessionem factam Estensibus, & quidem cum districtu, inclusum fuisse Comaclum, in quod Iudices tam Romanæ Sedis anno 1309. quam Roberti anno 1313. & præcedenti, quo is literas dedit, mandantes Ecclesiæ Comaclensi bona restitui, jurisdictionem exercuerant.

§. 15. Estenses anno 1318. Ecclesiæ restituunt Ferrariam cum districtu & Comaclo, quod Ferrariæ suberat ex diplomate Henrici VI.

Objiciunt non constare ex Rubeo lib.6.pag.533.anno 1318. Estenses Conventu habito cum Legato Apostolico apud Podium Bononiensem, restituisse Ecclesiæ Ferrariam & cetera ejus districtus loca, pacto addito, quod *nullam personam, nisi Romanam Ecclesiam Dominam Civitatis & districtus eorundem præsumerent nominare*. Verum hoc negantes longe aberrant, nam id expressum est in Bulla Ioannis XXII. qui anno octavo sui Pontificatus diris censurisque perculit Estenses. Rubeus quamvis id non referat, refert tamen eo anno eum Pontificem tres Episcopos in ea Provincia delegasse, qui sese inscribebant *Rectores & Administratores generales in temporalibus Civitatis Ferrariæ, ejusque Comitatus & districtus*, quæ verba ex eodem Rubeo transcripsimus. Et quidem præter adducta, quæ ad evidentiam probant quæcunque retulimus, patet etiam Comaclum ad districtum Ferrariæ pertinuisse ex diplomate Henrici VI. in quo id literaliter exprimitur & perperam contenditur lectionem hujus diplo-

matis esse diversam: nam Dominus Abbas Fontaninus exhibet genuinum dicti diplomatis textum, ostenditque supervacaneum esse conatum aliter legentium, quod & Dominus Abbas Zacagna pag.29. confirmat. Gaspar Sardus hist.Ferrar. lib.1. pag.33. Pigna hist.Principum Atestinorum pag. 127. & 162. Alexander Sardus in MSS. & Peregrinus Priscianus, qui omnes Estensium fastos scripserunt, ejusque nobilissimæ familiæ domestici erant, uno ore narrant in diplomate Henrici VI. COMACLUM intra districtum & sub jurisdictione Ferrariæ descriptum. Quamobrem frustra ii, qui nuper Estensium & Imperii jura ad COMACLUM sibi vindicandum vulgarunt, controvertere satagunt rem clarissimam ab iisdem Historicis & familiaribus Estensium assertam, exhibentque mutilum diploma, confusum, nil prorsus concludens, immo contrarium genuino diplomati, quod Priscianus ipse suis Commentariis inseruit, habens Bullas Innocentii III. & IV. id ipsum statuentium. Hoc idem affirmat Altograd.cons.4. n.27. tom.2. qui pro Estensibus scripsit, ubi probat ex Pigna, & ex aliis in Henrici VI. diplomate intra districtum Ferrariæ inclusum COMACLUM: quin & ab eodem jurisdictionem Ferrariensibus in COMACLENSES concessam. Licet vero Altogradus n.27. autumet Henrici VI. diploma non potuisse officere Atestinis Principibus, quibus a Ludovico II. Imperatore fuerat COMACLUM donatum; attamen Altogradus in hoc allucinatus est, Pignæ, quem laudat, testimonio deceptus, de qua Investitura Ludovici II. suppositicia, quam pluries commentum Pignæ appellavimus, ipse tanquam de re vera, mentionem facere ausus fuit.

§. 16.

COMACLUM in districtu Ferrariæ juxta Scriptores Estenses.

Intelligant itaq; qui nuper contrarium vulgarunt, Estensium defensores atq; historicos semper adjudicasse COMACLUM districtui Ferrariæ. Sic fecisse constat utrumq; Sardum, sic Pignam & Altogradum, cujus tempore non erat in rerum natura interpolatum diploma Henrici, quod nunc adducitur. Sic egit Calcagninus in MS. de Ducatu Ferrariæ n.32. & in libello apologetico pro Alphonso I. Domino suo: atque hi omnes COMACLUM in districtu Ferrariensi positum & sub jurisdictione Ferrariæ fuisse proclamarunt, quamvis eorum aliquis dixerit Comitatum COMACLI a Comitatu Ferrarię fuisse distinctum. Sed ex dicto diplomate constare ajunt de dominio & possessione Imperii. Verum sæpe dictum est Henricum VI. ea fecisse dum schisma foveret, & non solum invasisset COMACLUM, sed & Ferrariam, Ravennam, ceterasque Urbes & Provincias ad Sedem Apostolicam pertinentes: quas Cæsares ejus successores restituerunt. Innocentius III. & IV. exemplo Henrici VI. COMACLUM ad districtum Ferrariensem pertinere voluerunt,

runt, atque etiam Pontifices successores concedentes Vicariatum Ferrariæ cum districtu, COMACLUM etiam copularunt. Neque hoc adversatur concessionibus eorundem Pontificum, qui COMACLUM donarunt Ecclesiæ Ravennati; cum enim ea ætate, qua is Vicariatus concessus fuit, Archiepiscopi Ravennates COMACLUM non possiderent, nec possedissent seculis duobus, quæ præcesserant, uti patet ex historia sæpe relata; sed Pontifices, Ferrariæ, ejusque Judicibus eam Urbem subjecissent, Robertus quoque Rex ac alii Vicarii ab Ecclesia constituti Ferrariæ, jurisdictionem in COMACLENSES exercuissent, & is esset status rerum anno 1317. quo Estenses Ferrariam ejusque districtum invaserunt; hinc factum est Romanos Pontifices bonorum reliquarum Ecclesiarum Dominos & Arbitros, posthabitis titulis Ravennatium Antistitum, quos ipsi eis dederant & ad nihilum redactos sciebant, COMACLUM Vicariatui Ferrariæ addidisse, secundum vetusta exempla & statum rerum, qui tunc vigebat. Sixtus IV. Comitatum COMACLENSEM exemplo Gelasii II. Honorii II. aliorumque Romanorum Pontificum confirmavit quidem Ecclesiæ Ravennati; nam is Pontifex confirmavit Cardinali Bartholomæo Archiepiscopo plura atque plura Castra & bona, quæ in vetustissimis privilegiis Pontificum fuerant descripta, inter quæ Castrum *Argentæ* cum piscariis & universo territorio, necnon Comitatum Civitatis COMACLENSIS, cum portubus & pertinentiis suis, his verbis additis: *post hæc autem nullum jus de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari*. Hæc confirmatio probat COMACLUM ad Sedem Apostolicam pertinuisse. Probat itidem Pontificem voluisse quidem Ecclesiæ Ravennati jura antiqua tantum servari, nova autem non concedere, & hæc verba addidisse, ut quisque sciret, per eam confirmationem Archiepiscopos sibi non potuisse vindicare jura, quæ jam amiserant & possessionem, quam non habebant, prout erat dominium Civitatis COMACLI, cujus possessio quatuor jam lapsis seculis vel penes Sedem Apostolicam seu Ravennates aut Ferrarienses ei subjectos; aut penes Vicarios Civitatis Ferrariæ permanserat: quod agnoverunt Archiepiscopi qui bonorum, quæ habebant in Comitatu COMACLENSI, possessionem retinuerunt. nam ipse Bartholomæus Cardinalis Archiepiscopus Pomposianum Abbatem investivit post hanc confirmationem sub die 7. Maji 1487. de Portu Volanæ omnibusque bonis, quæ Ecclesia sua in eo Comitatu possidebat, quod & fecisse constat Cardinalem de Accoltis itidem Archiepiscopum sub die 14. Maji 1547. (qui Volanæ Portus per Priscianum ponitur in Comitatu Comaclensi & sub districtu Civitatis Ferrariæ) & sic

T 2 pa-

patet ab eis ex hac confirmatione existimatum, sibi attingere non licere jura COMACLENSIS Urbis, quod jam Pontifices de ea disposuissent.

§. 17. Clemens VIII. semper habuit COMACLUM pro incluso Ducatui Ferrariensi.

Exponunt demum, devoluta Ferraria, Clementem VIII. delegasse Ludovicum de Martinis ad capiendam possessionem COMACLI *ejusque Comitatus, districtus &c.* ac si Civitas, quæ ex confessione Ministrorum Pontificis ex dictis verbis educta, habebat districtum suum, non potuisset contineri sub districtu alterius. Hoc quidem insulsum est, nam & Civitates minores habentes Comitatum & districtum, sunt de districtu Civitatis majoris, si ejus jurisdictioni subsint, uti probavimus ex Aretino, Bertazolo & aliis. Exemplum nobis præstat Urbs Roma, quæ extendit districtum suum ad quadraginta milliaria, cum tamen de ejus districtu sint Viterbium, Tibur, Reate aliæque minores Urbes, districtum & Comitatum proprium habentes. Sic Torcellum & Clodia sunt Urbes prope Venetias cum suo territorio, Comitatu & districtu, & tamen fuerunt & sunt de districtu Communis Venetiarum. Sic Leo X. in Bulla, quam edidit anno 1517. nominat Franciscum de Ruvere Vicarium *in nostra Civitate Urbini, ejusq; Comitatu & districtu*, & tamen Franciscus recognoscebat ab Ecclesia ex Pontificum Investituris etiam Eugubium, Pisaurum, Montefeltrum, Forum Sempronii, plerasque Urbes, quæ Comitatum & districtum obtinebant. Quæ hic dicuntur de Abbatia Pomposiana & de pactis Henrici VI. cum Venetis, a vero aberrant. Nam Abbatia prædicta ab origine fuit juris S. Petri, ut late probatur a Domino Abbate Fontanino. Pacta vero laudata non respiciunt COMACLENSES, tanquam subditos, eaque Henricus iniit in schismate & tempore quo omnia invaserat, & sursum atque deorsum vertebat.

§. 18. Bulla Io. XXII. contra Estenses super Ferraria & COMACLO ab objectis vindicatur.

Ostendimus quibus pactis, confessionibus & præludiis Joannes XXII. Vicariatum Ferrariæ cum omnibus pertinentiis & districtu universo Estensibus concesserit. Hæc torquent animum Domini Regentis, qui multifariam conatur hanc rem evertere. I. putat Estenses Ferrariam habuisse ex deditione Civium, adducitque Sardum id narrantem. At si Estenses fassi sunt coram Pontifice & Cardinalibus per solemne instrumentum sese Ferrariam invasisse absque ullo titulo & eam Urbem cum toto districtu ad Sedem Apostolicam tantummodo pertinere & pertinuisse, ignoramus cur credi debeat Sardo assentatori, & non pactis, instrumentis, Bullis & Investituris tunc factis? II. Opinatur, Pontificem in Bulla contra Estenses habuisse pro synonimis territorium & districtum Ferrariæ: quod est erroneum, nam ipsa nomina

na sunt toto cœlo diversa, & Pontifex utitur dictione *vel*: ibi: *Territorium, vel districtus*, quæ innuunt Pontificem territorium a districtu distinctum agnovisse. III. ait Joannem XXII. in Bulla usum etiam plenitudine potestatis Imperialis, quam sibi arrogaverat, quod perperam dicitur, nam in Bulla id non legitur, & nihil turpius dici potest. Quippe Joannes XXII. narravit facta, ob quæ censuris innodati fuerant Estenses, eosq; declaravit censuris subjectos, ususque est plenitudine potestatis clavium, repetens millies Ferrariam, ejusque territorium, districtum & pertinentias ad Beatum Petrum & Romanam Ecclesiam pertinere, & sic ad potestatem spiritualem exercendam turpissimum fuisset assumere titulum potestatis Imperialis. IV. repetit plura pacta in instrumento ratificationis expressa referri etiam ad Marchionatum Estensem, qui juris Beati Petri non erat. Verum ex pactis, quæ ipse ponderat nullum nos eruimus argumentum: quippe jam scimus pactum, quo cautum est Abbates & Episcopos perfrui libere suis reditibus, Hæreticos quoque expellendos, respicere jus Ecclesiasticum & sic potuisse per Pontificem hanc legem imponi Estensibus etiam respectu Marchionatus Estensis. At pactum quo statutum est secularibus personis & Civitatibus Ferrariæ, Comacli & Adriæ non potuisse Estenses talleas, collectas & onera imponere, quodque in futurum ea non imponerentur, Pontificibus reluctantibus vel ignaris, evidenter ostendit dominium & possessionem Sanctæ Sedis, atque Estenses eas Urbes ex placito Pontificio tenuisse. Nam si eædem ad Imperium spectassent, frustra de iis conquestus fuisset Pontifex & injuste censuris perculisset Estenses, magisque imprudenter proclamasset, eas talleas & onera iis Civitatibus & secularibus personis earundem imponere non licuisse, eosque non adegisset ad revocandum & promittendum in futurum a similibus sese abstinere. Quamobrem hic non expressit Marchionatum Estensem aut alia loca, quæ Estenses ab Ecclesia non recognoscebant, sed solas Urbes Ferrariæ, Comacli & Adriæ. Hoc evidentissimum argumentum evertere nititur Dominus Regens confundens verba atque sensum quasi ea verba & pacta referenda essent ad Immunitatem Ecclesiasticam servandam: quæ læsa fuerat per Estenses, ac si solas Ecclesiasticas personas sermo Bullæ & pactorum respiciat & distinguat Civitatem Ferrariæ a Comaclo & Adria. Sed verba clarissima sunt, & relata uno contextu ad *talleas*, *collectas*, & onera imposita per Estenses. Verba hæc sunt: *nec solum dictæ Ferrariensis, sed* Comaclensis *& Adriensis Civitatibus & Cathedralibus & aliis Ecclesiis necnon Monasteriis,*

riis, & locis piis, & personis Ecclesiasticis, Religiosis, & secularibus dictarum Civitatum. Nihil clarius haberi potest; nam Pontifex conqueritur de *talleis* & *collectis* impositis Civitatibus ipsis, quæ nihil commune habebant cum jurisdictione Ecclesiastica, dein impositis Cathedralibus earumdem Civitatum, aliisque locis piis, & personis Ecclesiasticis, Religiosis & secularibus. Dicant quæso quænam sint personæ Ecclesiasticæ? Nonne omnes de Clero? Quænam Religiosæ? Nonne omnes regulares? Quænam autem essent seculares jam intelligitur ex verbis: neque legi potest *ecclesiasticis secularibus*, ut perperam contendunt, nam Papa ita non est loquutus, sed in hunc modum *personis Ecclesiasticis, religiosis, & secularibus*: quæ lectio infulsissima esset, si explicaret personas Ecclesiasticas religiosas, quippe regulares reipsa Ecclesiastici sunt, maxime quia in Bulla, verba *Ecclesiasticis, religiosis, & secularibus* litera grandiori, seu maxima scripta sunt, & sensus is est. Nam Pontifex primo loco designavit talleas & collectas impositas ipsis Civitatibus, quæ proculdubio continebat seculares laicos, Ecclesiasticos omnes etiam regulares. Neque ex hac distincta Urbium dominatione educitur Papam agnovisse Adriam & COMACLUM distinctas esse Civitates, neque inclusas in districtu Ferrariæ. Quippe jam diximus Civitates distinctas & diversas a majori Urbe esse de districtu ejusdem, si ei pareant; alias conclusio Doctorum esset ridicula, nam si Urbes non essent diversæ quæstio districtus esset de vento.

§. 19. *Fidejussio COMACLENSIUM pro Estensibus non excludit eos a districtu Ferrariæ ejusque jurisdictione.*

Sed Dominus Regens ad ea revertitur, quæ confutavimus in Conventu diei 25. Septembris, putatque fidejussionem factam per COMACLENSES & Adrienses favore Estensium, excludere eos a subjectione Pontificis. Jam diximus bona Civitatum & propria Civium non esse in dominio Principis supremi, sed sub jurisdictione ejus tantum, ideoque obligari posse, cum non detur actio & passio, ut perperam supponitur. Adrienses & COMACLENSES non obligarunt Civitates ipsas, quæ erant sub dominio Sanctæ Sedis, neque obligari poterant, sed bona Civitatum, & Civium, quæ ad supremum dominium non spectabant, uti omnia jura clamant. Addit præterea fidejussionem factam pro Estensibus promittentibus se post decennium restituturos Vicariatum Ferrariæ Comitatus & districtus & obligatas eas Civitates, ac si id excludat COMACLUM & Adriam fuisse de districtu: quo nil futilius excogitari potest. Siquidem, ut dictum est, obligatæ non fuerunt Civitates, quæ obligari non poterant, & si spectassent ad Imperium id facere nequivissent sine consensu Cæsaris, & ratione utilis dominii, quod habuissent Estenses, frustra novæ obligationi sese

sese subjecissent, cum satis fuisset obligatio Estensium, qui hypothecaverant bona omnia, quæ possidebant. Sed Universitates & bona Civitatum obligata fuerunt, quæ poterant hypothecari etiam pro restitutione Vicariatus & districtus lapso decennio favore Cameræ Apostolicæ supremæ dominæ. Nam hæc, pacto spreto, ad damna & interesse ac pœnam conventionalem agere poterat contra bona Universitatum & Civitatum earumdem, quæ in dominio suo non erant, cum Princeps disponere non valeat de bonis Universitatum, & Civium sibi subjectorum nisi ex causa publica necessitatem præseferente, & pretio soluto: & sic actio & passio nunquam dabatur. Subjicitur, Ferrariam non fidejussisse. Quid autem id juvet, ipsi quærant, qui ita arguunt. Ego hercle affirmo Ferrariæ Universitatem potuisse pro Vicario tunc a Papa constituto fidejubere: & si ea fidejussisset, nulla dabatur actio & passio, nam se non obligabat pro ipsa Universitate, sed pro Estensibus: neque obstringebat Civitatem ipsam, quæ nexui hypothecæ supponi nequibat, sed Universitatis bona: & cum fidejussio sit actus voluntarius, divinant qui dicunt Ferrariam non fidejussisse, quia non poterat. Credendum tamen id non factum, quod Universitas nollet, pluresque alii Mercatores & Nobiles Cives Ferrarienses fidejussissent. Pluribus adductis in dicto Conventu diei 25. Septembris ex Bulla Joannis XXII. in qua Vicariatus concessus fuit ad decennium Estensibus, nihil omnino respondetur, quia iisdem responderi non potest. Tot vero tantaque in duabus Bullis Joannis XXII. expressa sunt Comaclum respicientia, eoque designato, ut manifestum sit, Pontificem eam Urbem uti suam agnovisse, ac considerasse tanquam Sedi Apostolicæ subjectam ex jam dictis, & relatis in Conventu superius enunciato. Præterea Principes, Pontifices præsertim, consueverunt Vicariatum & investituras Provinciæ vel Ducatus aut majorum Civitatum ita concedere, ut major Urbs exprimeretur cum suo Comitatu, pertinentiis & districtu, unde minores sub districtu, & pertinentiis universis Civitatis majoris includerentur. Sic investitura Ducatus Urbini, sic altera Parmæ, sic Camerinensis. Ita quoque vestitura Regni Neapolis, altera quoque Corsicæ, & Sardiniæ, quam Bonifatius VIII. Regi Aragoniæ concessit, de qua infra mentio fiet, continent Civitates majores cum omnibus juribus, pertinentiis, dependentiis, & districtibus, & tamen plures atque plures erant minores Civitates & Opida non expressa, neque in Investituris designata. Immo Investitura Status Mediolani, & aliæ, quas Cæsares majoribus Principibus dedere, eodem stylo conceptæ fuerunt, in iis enim nomina singularum minorum Urbium,

bium, & Opidorum desiderantur. Eodem pacto Joannes XXII. Ferrariæ Vicariatum Estensibus concedens, satis duxit exprimere COMACLUM & Adriam verbis designantibus concessionem Vicariatus cum pertinentiis & juribus universis, ac integro districtu Ferrariæ: nam id ipsum fecerat Clemens V. ejus decessor hoc Vicariatu dato Roberto Regi & aliis, qui COMACLO, Adriæque imperaverant, quod essent Vicarii Ferrariæ & in ejus districtu constituti, quemadmodum narravimus. Satis enim est probasse ea ætate, quæ immediate præcessit investituræ, atque Rebellioni Estensium, COMACLUM paruisse Magistratibus Ferrariæ, & ad ejus Urbis jurisdictionem pertinuisse, ut ostendatur sub eo Vicariatu, in quo pertinentiæ, jura, & districtus expressa fuerunt, inclusum fuisse COMACLUM.

§. 20. *Ostenditur Joannem XXII. coegisse Estenses ad restituendum COMACLUM Ecclesiæ ablatum.*

Insuper quis unquam arbitrabitur Summos Pontifices, qui lapsis vix quinquaginta annis obtinuerant a Rudolpho Cæsare diploma, quo is ad æternam rei memoriam declaraverat, fassus fuerat, edixeratque Ferrariam, COMACLUM, & Adriam ad Romanam Ecclesiam pleno jure pertinere: qui antiquitus donaverant COMACLUM Ecclesiæ Ravennati; qui itidem Exarchatum recuperaverant, Ravennam, universamque Provinciam possidebant; necnon Estenses diris, censurisque tunc exagitaverant, quod ii Ferrariam, ejusque Comitatum & districtum invasissent; qui sciebant quoque eosdem COMACLUM & Adriam occupasse, ferre voluisse Estenses impune eas Urbes tenere jure proprio, & sine ullo titulo, nisi ex titulo, ut ipsi nunc ajunt, Ludovici Bavari, hostis Ecclesiæ, quem nemo Historicorum eorum temporum refert? Romana Ecclesia hæc non admisisset, neque ipsi Estenses produxissent; nam uti dictum est, in asserta Bavari investitura, Sardo teste, Argenta & Fili Territorium expressa sunt, quæ paulo post ipsi Estenses coram Pontifice agnoverunt sese invasisse, & restituerunt Ecclesiæ Ravennati, atque ab ea dein investituras ad ætatem usque, qua Ferraria devoluta est, acceperunt. Hęc inquam nemo cordatus vir accidere potuisse arbitrabitur. Quin non dicam ferre, sed remunerari Estenses, nam jam sciebat Joannes XXII. & ejus Aula COMACLUM & Adriam virtute donationum per Cæsares factarum Ecclesiæ, ac vetustissimorum titulorum & recentis diplomatis Rudolphi, ad Romanam Ecclesiam pertinere, easque Urbes cum Ferraria invasisse Estenses. Quis itaque putaverit Joannem XXII. Pontificem excelsi animi, qui censuris & armis Estenses coegerat ad restituendum Ecclesiæ Romanæ Ferrariam, Ravennati Argentam, ejusque Territorium, quod a Ludovico Bavaro ii, ut nunc clamitant, habuerant, & singulis Episcopis, Monasteriis, & Ecclesiasticis

ſticis perſonis bona, quæ ipſis occupaverant ac damna, quæ illis attulerant, non ſolum Eſtenſes non coegiſse ad reſtitutionem earum Urbium, immo tacuiſse, & quod plus eſt, eos beneficiis cumulaſſe, concedendo Vicariatum Ferrariæ, COMACLO & Adria non incluſis, quin omiſſis & apud Eſtenſes relictis. Hoc nemo non dicet impoſſibile & inſulſiſſimum eſſe. Ita namque Joannes XXII. Ludovico infenſus admiſiſset titulum ab eodem datum, quem tamen nemo adduxerat, neque is ſciebat: vel tuliſſet Eſtenſes retinere eas Urbes ſine titulo, & quas ii perduellionis tempore invaſerant, nil curans de jure Eccleſiæ Romanæ, aut Ravennatis, quando patet eum de minoribus ita fuiſſe ſollicitum, ut Vicariatum Ferrariæ nunquam Eſtenſibus conceſſerit, niſi poſtquam ii Ravennati Antiſtiti reſtituiſſent Argentam, ejuſque Territorium, atque Eccleſiis, Monaſteriis, locis piis, perſoniſque Eccleſiaſticis bona, quæ invaſerant & damna, quæ intulerant, æquis compenſationibus deleviſſent.

§. 21. Jo:XXII. & Clemens VI. habent COMACLUM pro incluſo Vicariatui Ferrariæ.

Quare dicendum Pontificem Jo: XXII. Vicariatum Eſtenſibus conceſſiſſe, quod is putaverit & palam tunc eſſet, ſub eo Vicariatu includi Civitates Adriæ & COMACLI, utpote Urbes, quæ ſub diſtrictu Ferrariæ continebantur, quemadmodum argumenta adducta in Convenu diei 25. Septembris evincunt. Hinc intelligitur cur ſucceſſores Pontifices & Eſtenſium illorum, qui primum Vicariatum obtinuerant, ſub hoc Vicariatu non unam, ſed plures Civitates comprehenſas publice aſſeruerint: quod tamen falſum eſſet, ſi COMACLUM, & Adria excludantur. Cur itidem Præſules Romanæ Eccleſiæ, qui Joannem XXII. ſequuti ſunt, de COMACLO diſpoſuerint tanquam proprio, & Urbe Sanctæ Sedi ſubjecta, uti in dicto Conventu diei 25. Septembris probatum eſt. Hoc feciſſe ſcimus Clementem VI. qui ut prorogaret Eſtenſibus eum Vicariatum, proteſtatus eſt ſe annuere, ut morem gereret Civitatibus pluribus *illarum partium noſtrarum & ejuſdem Romanæ Eccleſiæ devotarum*. At cum ex ipſa Bulla conſtet pro hac prorogatione ſupplicaſſe Florentinos, Mutinenſes, Ferrarienſes, COMACLENSES, & Adrienſes, & *Civitates illarum partium noſtrarum* plures fuiſſe, ſi demamus e numero ſupplicantium Adriam & COMACLUM, ſola Ferraria remaneret, quæ unica ſupplicaſſet: & ſic falſum eſſet eas preces porrexiſſe plures Civitates *illarum partium noſtrarum*. Duas expreſſit Papa ſpecies ſupplicantium, alteram *plurium Civitatum illarum noſtrarum partium*, alteram & *ejuſdem Romanæ Eccleſiæ devotarum*. Cum itaque ſub hac ſecunda ſpecie incluſæ ſint Florentia & Mutina, quas Urbes facile non concedent tunc Sedem Apoſtolicam pro ſuis habuiſſe

ideoque devotas tantum Ecclesiæ nuncupavit. Hinc sequitur, quod sub prima specie inclusæ necessario fuerint Ferraria, Comaclum, & Adria, dum pluralis locutio ad solam Ferrariam restringi non potest. Neque verum est ea verba *illarum partium nostrarum* intelligenda de Urbibus quæ proximæ erant ceteris, quas Sedes Apostolica possidebat. Quippe si possemus diplomatibus vetustissimis addere verbum *proximis*, vel *vicinis*, ac divinare eorum sensum, res plana foret. At cum id non liceat & liquidum sit verba restricta ad Urbes *illarum partium nostrarum*, & sic sitas in partibus subjectis Sanctæ Sedi, nemo non videt Papam mentionem fecisse Urbium sibi subjectarum, ac si dixisset *plurium Civitatum nostrarum Provinciarum*, aut *Status nostri*.

§. 22. Rejicitur quidam actus Aldobrandini Estensis, tanquam nihil ad rem faciens in causa Comacli.

Refert D. Regens instrumentum anni 1361. in quo Marchio Aldobrandinus Estensis pensionem solvit Marchioni Francisco pro nonnullis bonis, quæ possidebat *Ferrariæ, & ejus districtu, & in Policino, & in Diœcesi Adriensi, & Comaclensi*, ac si ex hac distinctione resultet non fuisse Comaclum reputatum de districtu Ferrariæ. Id instrumentum non inspeximus, & lectio suadet eum actum non gestum ad hanc rem definiendam, nam nominato districtu Ferrariæ, additur Policinum, quod proculdubio semper fuit, ejusque optima pars nunc est de districtu Ferrariæ. Est enim Policinum Ferrariæ, & Policinum Rhodigii, quod cessum dein fuit Venetis in pace inita anno 1484. quemadmodum infra dicemus. Quin hic actus per Feudatarios gestus, nullum potuit Domino supremo præjudicium afferre.

§. 23. Acta cujusdam fœderis nihil prosunt Estensibus in causa Comacli.

Refert etiam fœdus initum anno 1357. in quo Ministri Pontificis promiserunt defendere Estensibus loca *Ferrariæ, Adriæ*, Comacli, *Argentæ, Policini, Mutinæ, & Regii*. Quidquid autem sit de veritate pactorum hujusmodi fœderis, singularis enunciatio uniuscujusque Civitatis in eo facta non concludit, aliquas earum Urbium non fuisse de districtu Ferrariæ, nominatur quippe cum distinctione etiam Policinum, quod ad districtum Ferrariæ pertinuisse, & pertinere jam diximus. Immo id fœdus retorquetur, nam Adria, & Comaclum ponuntur inter Ferrariam, Argentam, & Policinum, & sic inter bona, & Terras ad Sedem Apostolicam pertinentes.

§. 24. Visitationes Comaclenses per Cardinalem Anglicum & per Abbatem Casanovæ ab objectionibus vindicantur.

Diximus etiam Cardinalem Anglicum Vicarium generalem Status Ecclesiæ anno 1371. visitasse omnia Opida & Urbes Romandiolæ ad Sedem Apostolicam pertinentes, inter quas Comaclum, & Ferrariam, addito eas Urbes tunc tenuisse *D. Marchionem de Ferraria*, & sic Comaclum tunc habuisse Estenses utpote Mar-

Marchiones Ferrariæ. Respondent hunc actum inspici non potuisse: referri ad visitationem ratione juris ecclesiastici & spiritualis, continere verba illa, *tenet D. Marchio de Ferraria*, quæ innuunt Ecclesiam non possedisse & clandestinum fuisse. Ex objectis discimus hanc visitationem nimium torquere animum D. Regentis. Quandoquidem ea contigit, prout jacet in opere D. Abbatis Fontanini pag. 97. 98. & 99. Neque referri potest ad jus Ecclesiasticum, nam inscriptio Codicis, cujus verba referuntur in d. libro pag. 99. respicit solummodo jus temporale, & visitatio facta fuit per Cardinalem Anglicum, tanquam Vicarium generalem Papæ in *Temporalibus* in Romandiola Provincia Sedi Apostolicæ subjecta, non autem in Spiritualibus: & facta eo fine designandi feudatarios Ecclesiæ, loca, portas Civitatum, Castra, Rocchas, fortalitia, & focularia eorum locorum, uti legitur in toto Codice ejus visitationis, in quo descripti sunt omnes feudatarii cum iisdem verbis *tenet D. N.* Hæc verba adnotata sunt ad ostendendum, personas ibi descriptas ea loca in feudum ab Ecclesia accepisse: nam ibi etiam visitata Ravenna adnotatur *tenet D. Guido de Polenta*, qui ejus Urbis Vicarius ab Ecclesia Romana constitutus fuerat: & visitata Ferraria additur: *tenet D. Marchio de Ferraria*, qui eum Vicariatum a Joanne XXII. Clemente VI. & successoribus obtinuerat, atque ideo verbum *tenet* non fuit adjectum ad indicandum dominium, sed concessionem in feudum. Clandestina autem non fuit visitatio palam facta. Quis enim crediderit Cardinalem Legatum Bononiæ & Vicarium generalem Papæ in temporalibus in ea Provincia, qui Bononiæ coram multitudine quatuor millium personarum & coram Marchione Nicolao & Ugone fratre Estensibus in Episcopio ejusdem Urbis recitari fecerat literas suæ delegationis, & qui visitaverat Ravennam, Ferrariam, aliasque conterminas Urbes, clam visitasse Comaclum, ejusque accessum ad eam Urbem & actus ibidem gestos coram Ministris Estensium, qui eam Urbem tunc regebant, clandestinos fuisse & Estensibus ignotos? Nemo sane, cum res ipsa loquatur. Huic similis actus, quem adduximus ætate Martini V. restrictus asseritur ad Collectoriam redituum Ecclesiasticorum: perperam tamen, cum pateat Abbatem Casanovæ constitutum Collectorem *jurium, fructuum, & proventuum* in Terris, & Provinciis Romandiolæ & Exarchatus Sedi Apostolicæ subjectis: & sic argumentum sponte sua corruit, nam dum ibidem dicitur Comaclum sub delegatione contineri, jam patet Comaclum fuisse descriptum in Exarchatu & inter loca ad Sedem Apostolicam pertinentia. Sæpe in Conventibus nos paratos ostendimus ad

hunc actum exhibendum: verum exaudiri non potuimus, dum per Excellentissimum D. Legatum Cæsareum semper responsum fuit id ei sine jussu Cæsaris non licere.

§. 25. Rudolphus I. nullam investituram de Comaclo dedit Estensibus, quia ad Ecclesiam spectabat.

Divertit D. Regens ad alia, vim faciens in pace inita inter Ducem Herculem I. ac Venetos, in qua Dux iis Adriam & Policinum cessit Sixto IV. non vocato, nec audito, unde arguit, quod quemadmodum Adria erat in diplomate Rudolphi expressa, & tamen post tres annos in feudum data fuit ab eodem Rudolpho Estensibus, & isti de ea disposuerunt invito Pontifice, ita dicendum sit de COMACLO, atque hinc concludendum asserit parum confidendum diplomati Rudolphi, quem patet noluisse Imperio præjudicium afferre. Hoc tamen argumentum nugatorium apparet, nam petimus a D. Regente cur Rudolphus Adriam post diploma datum Ecclesiæ, in quo ea Urbs ad eandem pleno jure spectare edicitur, in feudum dederit Estensibus, COMACLUM nequaquam? Si COMACLUM, ut ipse ait, semper ad Imperium pertinuerat, si Ludovicus II. ejus Urbis investituram Estensibus dederat; si respectu COMACLI & Adriæ Rudolpho subreptum per Nicolaum III. fuerat; si Sedes Apostolica earum Civitatum nusquam possessionem habuerat, sed Imperium de eis semper disposuerat, & diploma prædictum exequutioni demandatum non fuerat; cur quæso Rudolphus sicuti disposuit de Adria, ita non fecit de COMACLO, cujus investituram dare noluit Estensibus, aut aliis? Id equidem manifestum facit, aut Rudolphum ignorasse COMACLUM ad Imperium spectasse, & defensores recentes plus sapere hodie post secula fere quinque jam lapsa, quam tunc sciret Rudolphus, qui vixit ea ætate, qua hujuscemodi rei quæstio mota, & sopita est: vel Rudolphum Estensibus Adriam non dedisse, cum nos eam investituram ignoremus: seu immemorem fuisse eam Urbem in suo diplomate Sedi Apostolicæ concesso contentam, quemadmodum urget præsumptio juris, & de jure non admittens probationem in contrarium, uti Gaillus in d. Conventu diei 25. Septembris adductus firmat: vel eum Imperatorem agnovisse, se de COMACLO ad Romanam Sedem pertinente non potuisse disponere. Et sic hæc investitura nuper tantum asserta, clamat contra Imperium & Estenses, dum hic non agitur de Adria, sed de COMACLO.

§. 26. Anno 1484. Comaclum a Venetis Vicariatui Ferrariensi restitutum.

Hæc quoad jactatam investituram Adriensem Rudolphi I. quæ tamen exhibita nunquam fuit. Jam superest ut disseramus de pace inita inter Ducem Herculem I. ac Venetos die 7. Augusti 1484. non autem inter unum Ducem Herculem, Venetosque, sed etiam inter Joannem Galeatium Vicecomitem, Sixtum IV. & Neapolis Regem, in qua ita statutum legimus: *che l'Illustrissima Signoria di*

di Venezia sia tenuta, e debba per tutti li 20. del presente mese d'Agosto restituire al prefato Illustrissimo Duca di Ferrara, Duca di Milano, e Marchese di Mantova tutte le Città, Terre, e luoghi, cioè Adria, Adriano, Comacchio, *Melara, Castelnovo, Figarolo, Castel Guglielmo, la Bastia del Reviolo, tutta la Riviera di Filo &c. Item si è concordato, che il Polesine di Rovigo occupato dalla predetta Illustrissima Signoria di Venezia in la presente guerra resti ad essa Signoria con tutte le sue ragioni, giurisdizioni, e pertinenzie.* Hanc pacem ægre tulisse Sixtum IV. in Conventu diei 25. Septembris narravimus, quod Veneti prius ei restituere obtulissent etiam Policinum Rhodigii, quod ipsis dimissum erat, teste Jacobo Maffeo, qui eam Regionem *Peninsulam Ferrariensem* nuncupat, & id ipsum testatur Raynald. ad annum 1484. §. 21. At constat pridie idus Augusti ejusdem anni 1484. Pontificem paulo ante quam decessisset, eam pacem probasse, quemadmodum Raynaldus ad d. annum 1484. §. 21. affirmat. Quare corruunt argumenta hinc educta: nam in hac pace Adria cessa non fuit, sed solum Policinum Rhodigii datum Venetis, restitutis Duci Herculi I. Adria & Comaclo, & quidem consentiente & auctore Sixto IV. qui Venetos censuris, & diris ad id faciendum coegerat. Porro si Policinum Rhodigii ad Imperium pertinuisset & ad Ducem Herculem I. uti Vicarium Cæsareum, necnon Adria & Comaclum; Sixtus IV. tædio hujus pacis ob Policinum non dimissum per Venetos, non occubuisset, uti Historici relati in Conventu die 25. Septembris narrant, nec adeo sollicitus fuisset propter Adriam, & Comaclum. Quæ enim Sixtus IV. egisset ut Veneti restituerent abrepta, relatum est in eodem Conventu diei 25. Septembris, quibus addimus eum plures ob hanc rem dedisse epistolas ad Catholicos Principes, & præsertim unam ad Ducem Saxoniæ apud Raynald. ad annum 1483. §. 3. in qua hæc habentur: *Verum cum Veneti ipsi Duci Ferrariensi bellum intulissent & ea de causa Ferdinandus Rex contra nos arma movisset, cæterique Italiæ Principes contra Venetos auxilio Ferrariensi Duci venirent, occupatis nonnullis Civitatibus & Opidis nostris.* At quæ essent Civitates, & Opida per Venetos occupata, & quidem *nostra*, idest Sedis Apostolicæ, patet ex ipsis pacis pactis, in quibus ii in genere promiserunt restituere omnes Terras & loca, quæ occupaverant: & deinde speciatim *Adriam, Adrianum*, Comaclum, *Melariam, Figarolum, & Territorium Fili*: quæ omnia ad districtum Ferrariæ, vel ad S. Sedem, & Ecclesiam Ravennatem pertinebant.

Quo

§. 27.
COMACLUM iterum a Venetis restitutum Vicariatui Ferrariæ anno 1509.

Quo autem pacto Veneti Adriam deinde occupaverint nunc disquiramus. Alphonsus I. Herculis Ducis Ferrariæ filius meditatus Policinum Rhodigii, jam sub Sixto IV. Venetis cessum, armis invadere, illud recuperavit. Ob hanc rem Veneti bellum Alphonso indixerunt, & Policinum, quin Adriam, COMACLUM, Ravennam etiam, Faventiam & Cerviam invaserunt, Ferrariamque obsederunt cum Julius II. arma movisset in Venetos pro Alphonso I. Hujus rei meminit Guicciardinus lib. 8. Julius II. anno 1509. censuris perculit Venetos quos tandem insequenti anno sub die 24. Februarii solemni ritu absolvit a censuris, cum jam ii restituissent Ecclesiæ Romanæ abrepta, ut apud eundem Guicciardinum lib. 8. ad finem legitur: ubi narrat pag. 397. Julium coegisse Venetos ad restituendum Alphonso COMACLUM: en verba: *perchè tra loro e sè non fosse materia di contendere aveva operato rendessero al Duca di Ferrara la Terra di* COMACCHIO, *la quale avevano prima abbruciata, & a sè promettessero di non molestar più lo Stato del Duca di Ferrara*. Hæc Julium II. fecisse, ait Guicciardinus, timentem Cæsaris arma, & postquam conatum omnem, quamvis inanem adhibuerat, ut Cæsar cum Venetis fœdus statueret. En probatum testimonio Guicciardini COMACLUM restitutum Alphonso I. Julio II. auctore & ut inter Venetos & Pontificem nulla amplius occasio dissidiorum daretur: quod quidem Historicus insulse scripsisset, si COMACLUM non ad Vicariatum Ferrariæ, sed ad Imperium spectasset: nam quod Veneti invaderent Urbem Imperii eo tempore, quo Cæsar bellum cum Venetis gerebat, gratissimum fuisset Julio II. Cæsari tunc infenso. At objicient Adriam adhuc Venetis dimissam. Verum a quo & quibus pactis, an sciente, an ignorante & auctore Julio, id prorsus incertum est: neque id Scriptores affirmant. Ego putarim Policino Rhodigii per Venetos habito in pace jam relata sub Sixto IV. Venetos, qui sub Julio II. Adriam in ea regione sitam invaserant & COMACLUM, restituisse COMACLUM, Adria sibi retenta: & Julium, qui tunc Venetorum ope indigebat tacuisse, vel eam repetere omisisse in fœdere inito cum Venetis & Rege Catholico contra Gallos anno 1511. cujus meminit sæpe laudatus Guicciardinus lib. 10. pag. 470. Quare nequaquam subsistit Adriam per Ducem Alphonsum I. Pontifice inscio, Venetis cessam. Et quatenus id verum esset, is actus nil ad rem faceret. Quippe non constat Cæsarem assensum suum præstitisse: & quemadmodum Dominus Regens affirmat potuisse hunc assensum deinde per Cæsares dari, & forsan datum in fœderibus inter eos ac Venetos ictis; ita etiam nos dicimus potuisse id

ipsum

ipsum fieri in fœdere, quod Julius iniit ea ætate cum Venetis. Neque nova res est, Cæsares pati Principes plures in Italia tenere Urbes & regiones integras, quas ii invaserunt seculis elapsis, & quas ad Imperium pertinere Conringius & Germani proclamant. Eodem pacto cur dici non potest Venetos Adriam possidere, quamvis sub Vicariatu Ferrariæ ea Urbs olim contenta fuerit, & in diplomate Rudolphi aliisque Cæsarum donationibus Ecclesiæ Romanæ factis, expressa: & per Clementem V. & Joannem XXII. agnita uti Urbs Sedis Apostolicæ paulo post Bullam auream Rudolphi I.?

§. 28. Census ab Estensibus solutus Sedi Apostolicæ pro Comaclo.

Diximus Ducem Herculem I. solvisse canonem Iulio II. pro Vicariatu, & *nonnullis aliis Civitatibus, Terris & locis in dicto Vicariatu* contentis, hinc arguentes sub Vicariatu non inclusam solam Ferrariam, sed & alias Civitates ex confessione ipsorum Estensium emissa in actu solutionis canonis: quæ si ita sunt, patet Comacli & Adriæ Urbes sub eo Vicariatu contentas, cum aliæ neque fuerint, neque assignari possint. Hoc argumento prostratus Dominus Regens regerit, id factum per Procuratores Ducis Herculis sine legitimo mandato procuræ. At mandatum procuræ in eodem actu relato in lib. Domini Abbatis Fontanini pag. 109. enunciatur, agiturque de solutione census, qui solvi omnino debebat; de actu facto in Tribunali Cameræ Apostolicæ coram Cardinali Camerario, adstante cœtu Clericorum Cameræ in festo Beati Petri & Pauli:& quidem facto duobus ad hinc seculis ab iis, qui insignem summam solverunt, neque solvere poterant, nisi transmissam per Ducem Herculem, & gesto pro Duce ad impediendam caducitatem: ex quo demum veritas eorum desumitur, quæ jam apparebant, cum ante Pontifices declarassent non solam Ferrariam, sed & plures Civitates sub hoc Vicariatu inclusas. Si actibus adeo vetustis posset opponi defectus mandati procuræ, quodque enunciativæ in iis emissæ aliunde probandæ essent, res omnis antiqua subverteretur: investituræ Imperiales & diplomata ipsa irrita essent, Bullæ Papales & literæ Pontificum inanes; siquidem constare non posset Investituras fuisse per descriptos petitas aut datas, Procuratoribus concessas cum speciali mandato procuræ, bona expressa fuisse concedentis; confessiones in eis factas, veras: & sic origo originis semper repetenda esset, quod quam absurdum sit eruditi dijudicent. Id est vetustatis privilegium, ut enunciativæ, confessiones & expressiones in actibus metam centum annorum excedentibus factæ, veræ dicantur, & præsertim in actibus propriis & Dominicalibus atque solemnibus, & qui sine mandato procuræ fieri nec poterant, neque debebant,

bant, & gestis coram Ministris Principis supremi & per Oratores & personas publicas Principum. Subdit Dominus Regens tunc Adriam per Venetos detentam, & sic canonem non potuisse pro ea solvi, eaque dempta, solum COMACLUM fuisse, pro quo is canon solvendus esset: ergo falsum, quod solveretur pro Ferraria & *nonnullis aliis Civitatibus*, cum hæc pluralis solutio ad solum COMACLUM referri non potuisset. At vir doctissimus cogitare debuerat has subtilitates non posse abradere ea, quæ scripta sunt. Instrumentum enim habet, canonem solutum fuisse pro Ferraria *& nonnullis aliis Civitatibus* sub Vicariatu inclusis. Quare si demamus Adriam & COMACLUM, nulla prorsus erat Urbs alia in Vicariatu contenta. Ponderare etiam poterat anno 1502. quo ea solutio facta est sub Alexandro VI. quem Dominus Regens amicum & cognatum Ducis Herculis fuisse fatetur, Adriam non fuisse sub dominio Venetorum: jam enim probavimus ætate Sixti IV. eos Adriam eidem Duci Herculi I. restituisse, eosque iterum eam Urbem occupasse tempore Alphonsi I. Herculis filii, qui Policinum in ea pace dimissum vindicabat: quo fit jure optimo potuisse ac debuisse canonem tunc solvi etiam pro Adria: quam Dux Hercules solvens possidebat. Præterire itidem neque fas erat, Principes supremos, qui Vrbem aliquam sibi subjectam bello amiserunt ante cessionem factam & pacis pacta nunquam facto suo perdere velle dominium, aut fateri sese spoliatos; semper enim ii in publicis actibus repetunt jura dominii suosque Vicarios & feudatarios recognoscunt, ac si Urbs illa sub eorum esset poteſtate. Hinc fit, Alexandrum VI. & Ducem Herculem I. quorum intererat Adriæ jura sarta tecta servare, solvere & respective accipere potuisse canonem etiam pro Adria, quasi ea derelicta non fuisset, sed adhuc eidem Ferrariensi Vicariatui inclusa, licet detenta per Venetos. Diximus itidem, Ducem Alphonsum anno 1506. similiter pro Ferraria *& nonnullis aliis Civitatibus* ejus Vicariatus canonem solvisse. Nunc Dominus Regens redarguit eos, qui pro Sede Apostolica scripserunt, & præsertim Dominum Abbatem Fontaninum, quem cap. 27. Dominii putat memorasse Herculem I. etiam anno 1506. postquam objerat, eam solutionem fecisse. Verum ille inania captat, carpens defensores Sanctæ Sedis quando carpere debuisset Ministros Estensium, qui plura atq; plura scriptis mandarunt inter se contraria, quique perperam vulgarunt, hunc solutionis actum referendum ad Ducem Herculem tunc jam defunctum. Una semper est veritas per nos, & per Dominum Abbatem Fontaninum ubique palam facta. Hic enim cap. 27. hæc habet: *Al medesimo Ercole I. in uno strumento*

mento sopra il censo da lui pagato il dì 8. Agosto 1502. e ad Alfonso I. suo figliuolo in un altro de' 28. Giugno 1506. vien dato il titolo di Ferrariæ Dux, & in nonnullis aliis Civitatibus, Terris & locis pro Sancta Romana Ecclesia Vicarius generalis. Hæc scripserat Dominus Abbas Fontaninus in Dominio pag. 29. cap. 27. Deinde in Defensione Dominii cap. 24. pag. 109. retulit integram apocham securitatis pro solutione facta ætate Alexandri VI. anno prædicto 1502. per Herculem I. & statim pag. 111. similem sub Julio II. factam per Alphonsum I. & sic non est cur ille redarguatur, si veritatem eandem semper defendit: quam, utpote eductam ex authenticis actibus, obumbrare non posset error, si quis etiam irrepsisset. Nec quicquam juvat asserere tam ante, quam post dictum annum 1502. & 1506. solutiones canonum factas pro sola Ferraria; nam semper eas factas fuisse affirmamus pro Ferraria ejusque Comitatu & districtu vel pro Ducatu. Quare actus non sunt inter se contrarii, ut insulse contenditur; sed suppletivi, nam solutiones præfatæ factæ pro Vicariatu Ferrariæ & nonnullarum Civitatum, explicant sub districtu Ferrariæ in Vicariatu comprehenso, inclusas alias Civitates, quemadmodum & ætate Clementis V. Ioannis XXII. & Clementis VI. satis declaratum fuerat ex jam relatis.

Putat etiam Dominus Regens ex Bulla Clementis VIII. patere, tunc Pontificem COMACLUM distinctum a districtu Ferrariæ nuncupasse. Verum hoc futile esse intelligitur ex integra lectione ejusdem Bullæ. Quippe initio Constitutionis Papa sic asserit: *Civitatem Ducatumque nostrum Ferrariensem ad Sedem Apostolicam nuper legitime devolutum pro eadem Sede recuperatum.* Itaque Clemens VIII. non solam Ferrariam, sed & Ducatum Ferrariæ devolutum fuisse profitetur. Quæro autem an COMACLUM intellexerit devolutum? Siquidem fateri compellitur quisquis historiam eorum temporum calleat, Clementem sub eo Ducatu putasse & COMACLUM inclusum, & eam Urbem similiter devolutam: is enim dictis, scriptisque probavit COMACLUM ad Romanam Ecclesiam pertinuisse; in Investitura Ducatus Ferrariæ illud inclusum, eademque pacta, ex quibus educebatur devolutio Civitatis Ferrariæ, palam fecisse & illam Comaclensis Urbis: atque hinc ejus Civitatis possessionem accepit. Hæc manifesta fiunt ex sequentibus. Quandoquidem in declaratione per Clementem facta, devoluta asseruntur infrascripta: *La Città e Ducato di Ferrara e il suo Contado e distretto, e l'altre Città, Terre, Castelli e luoghi insieme co' loro territorj, distretti, giurisdizioni, fortezze, membri e pertinenze, le quali da' Romani Pontefici nostri pre-*

§. 29. Clemens VIII. nunquam distinxit COMACLUM a Ducatu Ferrariæ.

decessori furono concesse in feudo agli antecessori di esso Alfonso I. In Bulla devolutionis hæc devoluta esse asseruntur: *per obitum Alphonsi Ferrariæ Ducis, Ducatus & Status Ferrariæ cum omnibus Civitatibus, Terris, Castris, Fortalitiis, Portubus, locis, jurisdictionibus & juribus, de quibus a Sede Apostolica & suis prædecessoribus Romanis Pontificibus idem Alphonsus seu ejus prædecessores investiti fuerunt*. In Bulla Iubilæi, quam Clemens VIII. vulgavit Ferrariæ sub die 20. Februarii anno 1598. edixit sub ea inclusas *le Città, Terre e luoghi del Ducato*. Hinc patet Clementem VIII. ante, & ipso initio devolutionis declarasse sub eo Ducatu ac Ducatus devolutione alias Civitates contentas: quod falsum esset, si COMACLUM demamus. Quare Clemens VIII. in posteriori Bulla edita sub die 15. Iunii 1598. neque cogitare, nedum statuere potuit COMACLUM a districtu & Ducatu Ferrariæ separatum & distinctum, dum præcedenter in tot solemnibus actibus contrarium edixerat, & COMACLUM devolutum scriptis, dictisque probaverat, quod Vicariatus Ducatus Ferrariæ ob lineam finitam evanuisset. Clemens igitur in laudata Bulla, ut in futurum res foret notissima & nova Legatio Ferrariensis, quam recenter instituerat, & propagare professus fuerat, liquidissimos terminos haberet, & cavillationes tunc exortæ submoverentur, expressit ad tollendam finium controversiam inter Legatos Bononiæ & Romandiolæ, COMACLUM *Terras & loca quæcunque tam Romandiolæ, quam Centi & Plebis, & alia quæcunque per Ducem Cæsarem Estensem, una cum prædicta Civitate Ferrariensi Sedi Apostolicæ restituta*, mandavitque *post hac perpetuis futuris temporibus Ducatui Ferrariensi unita & incorporata existere, & sub Legatione Ferrariensi semper comprehendi*. Hæc sunt verba Bullæ, quæ recentis Legationis terminos enunciant. Hoc patet ex argumento clarissimo. Clemens VIII. nullam Terram, nullumque locum excepit, quia *loca quæcunque tam Romandiolæ, quam Centi & Plebis & alia quæcunque* per Ducem Cæsarem una cum Civitate Ferrariensi restituta in eadem dispositione & incorporatione inclusit. Dicant quæso qui hæc objiciunt, an Clemens VIII. sub ea dispositione incluserit Terras & Castra Bondeni, Stellatæ, Portus, Figaroli, Massæ fiscaliæ, Milliarii, Francolini & Garofali? Si negent; rem falsam affirmare debebunt, nempe prædicta esse extra Legationem, neq; comprehendi sub verbis prædictis indefinitis & generalibus, quæcunque loca restituta per Ducem Cęsarem una cum Civitate Ferrariensi complectentibus, nullo prorsus excepto. Si affirment, quemadmodum hæc res notoria controverti non potest, dicendum erit Castra

& Ter-

& Terras superius enumeratas ante Clementis VIII. Bullam, nequaquam sub Ducatu & Vicariatu prædicto contentas, immo ab eodem distinctas: & tamen in eadem Bulla §. *Cumque nos* pagina 13. Pontifex priusquam eam incorporationem fecisset, omnia prædicta loca, Terras & Castra, quas & quæ enunciavimus, ait posita in territorio Ferrariensi, & sic jampridem unita, jampridem incorporata antequam Ducatus ipse devolveretur. Patet ergo Clementem VIII. per ea verba non definivisse, loca omnia ibidem expressa ad Ducatum Ferrariæ atque ad eum Vicariatum non pertinuisse, quando is prius ex iis plura una cum Vicariatu devoluta ob lineam finitam declaraverat, inter quæ COMACLUM; sed tantum designare voluisse fines Legationis a se recenter institutæ, eiq; unire loca jam in Vicariatu comprehensa, alia etiam, quæ prius sub eo non erant inclusa, uti erant Castra Centi & Plebis in districtu Bononiæ, quæ in distincta Investitura concessa fuerant. Propterea sub una eademq; dispositione generali expressit prædicta Castra, COMACLUM etiam & quæcunque loca ubicunque posita, restituta per Ducem Cæsarem Sedi Apostolicæ, nullo prorsus excepto; & sic Argentam, Stellatam, Figarolum aliaque Castra superius enumerata, quæ jam erant in territorio Ferrariæ, & luculentissime ad eum Vicariatum spectaverant, hoc pacto omnia confundens, & sub eadem dispositione loca jam spectantia ad eum Vicariatum, & ab eo exclusa comprehendens, ut futuris temporibus fines ejus Legationis notissimi essent, nullaque daretur causa dissidii inter vicinos Legatos; alias Clemens VIII. sibimet contradixisset, & contra seipsum, Sedemque Apostolicam sententiam tulisset. Ita namque COMACLUM in Vicariatu non inclusum, sed a Ducatu Ferrariæ distinctum, neque a Romana Ecclesia Estensibus concessum fuisse declarasset: cum tamen ipse contrarium omnino vulgasset, devolutionem acceptando ac possessionem ejus Urbis ineundo, postquam Pontificis Ministri scriptis notum fecissent COMACLUM una cum Ferraria ejusque Vicariatu devolutum & sub eo contentum, actusque per nos relatos adduxissent, ex quibus hæc veritas educebatur.

§. 30.

Alphonsus I. recognovit COMACLUM *pro incluso Ducatui Ferrariensi, paruitque Julio II. tanquam* COMACLI *supremo Domino.*

Nunc memoremus ea, quæ per Julium II. gesta sunt & probant sub Vicariatu Ducatus Ferrariæ non solam Ferrariam, sed plures Civitates, COMACLUM præsertim inclusum. Retulimus in sæpe laudato Conventu diei 25. Septembris Julium II. in Bulla edita contra Ducem Alphonsum I. eum privasse Vicariatu Ferrariæ & Civitatibus, Terris, & locis, quæ sub dicto Vicariatu continebantur: idque fecisse, quod Dux sal COMACLENSE legeret *in grave damnum Sedis Apostolicæ*, ad quam supremum & dire-

ctum dominium Comacli pertinebat: quod exprimitur in Bulla. Jovius, Petrus Martyr, Guicciardinus aliique ejus ætatis Scriptores uno ore idem affirmant. Alia addidimus, ex quibus palam fit Julium II. declaraſſe Comaclum ad Sedem Apoſtolicam pertinuiſſe, & Alphonſum id palam negare non auſum; quin obtemperaſſe, Salinas evertiſſe poſtquam non ad Cæſarem, ſed ad Galliarnm Regem appellaverat. His preſſus D. Regens plura, atque plura inculcat, quæ undique nutant, vel nihil referunt. I. Putat elidi validiſſimum argumentum eductum ex expreſſione aliarum Civitatum contentarum ſub Vicariatu, ex quo Julius II. ſibi blandiretur Mutinam & Regium ad Romanam Eccleſiam ſpectare, illisque voluerit in Bulla Alphonſum privare: nec unquam in privationis ſententia Comaclum nominaverit. In his autem vir eruditiſſimus egregie fallitur ſequens reſponſa Miniſtrorum Eſtenſium, qui ut aſſentatores fierent, hiſtoricam veritatem obnubilarunt. Julius II. clariſſimis verbis eas Civitates ſub Vicariatu Ferrariæ incluſas proclamat, his verbis: *& inſuper Alphonſum, & alios privatos Ferrarienſis & aliarum Civitatum Comitatus ac Terrarum, Caſtrorum, Opidorum, & locorum Vicariatus, & Ducatus hujusmodi.* Hoc & exprimitur in alia Bulla, quam Julius vulgavit eodem anno 1510. pridie idus Octobris contra Gallos cum Alphonſo fœderatos, necnon in altera, qua anno 1511. 5. Kalendas Auguſti in Cardinales refractarios animadvertit: quæ Bullæ ea ætate typis editæ fuerunt per Jacobum Mazzochium Academiæ Romanæ typographum, & adhuc etiam ſervantur. Ergo non potuit Julius loqui de Mutina & Regio quia Urbes illæ ad Vicariatum Ferrariæ non pertinebant, palamq;erat omnibus nunquam Romanam Eccleſiam putaſſe eas ſub eo Vicariatu contineri. Julius II. anno 1507. die 5. Octobris pro Alphonſo I. petente a Maximiliano Cæſare inveſtituram Mutinæ & Regii, literas dederat ad eundem Maximilianum, rogans, Alphonſum voti compotem reddi, eique earum Urbium inveſtituram dari: & Nuncio ſuo apud Cæſarem *imperaverat*, ut ſuo nomine a Cæſare deprecaretur inveſtituram earum *Civitatum, Mutinenſis, & Regienſis, quas Romani Imperii obtinet cenſu*: quas literas D. Abbas Fontaninus pag. 122. memoravit. Quare inſulſiſſimum eſt aſſerere Julium II. privaſſe Alphonſum poſt tres annos aut eum privare voluiſſe Civitatibus laudatis: quas ipſe paulo ante putaverat ad Imperium pertinere, earumque inveſtituram pro Alphonſo a Cæſare poſtulaverat. Comaclum in ea privatione incluſum fuiſſe patet ex Bulla: Nam Julius II. in eadem clariſſimis verbis declaraverat Comaclum ad Sedem Apoſtolicam pertinere, & ab
ea

ea in feudum datum Alphonso. Quare dum eum privavit Vicariatu Ferrariæ, necnon *aliis Civitatibus*, Terris, & locis, quæ sub eo Vicariatu includebantur, quæque ad Ecclesiam Romanam spectabant, palam fit eumdem Comaclo privasse, tum quia privatio *aliarum Civitatum* sub Vicariatu prædicto contentarum, demptis Adria, & Comaclo, fuisset ridicula, uti sæpe dictum est; tum etiam quia Julius II. Alphonsum I. privavit omnibus Civitatibus & locis, quæ Romanæ suberant Ecclesiæ: quamobrem nisi eum Comaclo privasset, quod ipse in eadem Bulla ad Sedem Apostolicam pertinere edixerat, statim se correxisset & proclamasset Comaclum ad Romanos Præsules non spectasse: & sic res ipsa loquitur, & controvertitur res evidentissima.

§. 31. Hadrianus VI. integrat Alphonsum I. Ducatu Ferrariæ & Comaclo, quo privatus fuerat a Julio II.

Hinc educitur quod integrato Alphonso I. per Hadrianum VI. eoque iterum investito de Statu Ducatus Ferrariæ & Vicariatu prędicto, atque absoluto a pœnis privationis & censuris in eum latis per Julium II. in dicta Bulla, & acceptata per instrumentum publicum integratione prædicta per Alphonsum, uti patet ex instrumento, in quo pacta pro Salinis Comacli memorantur; jam iste sententiam privationis acceptaverit, nam is qui ex gratia præsertim, se integrari petit, aut integrationem obtinet, se privatum & spoliatum jam fatetur. Quare patet Estenses ipsos agnovisse per Iulium jure optimo se privatos Vicariatu Ferrariæ & Civitatibus sub eo contentis & Comaclo. Neq; indigebant Pontifices successores in subsequentibus investituris Vicariatus hujusmodi, Comaclum exprimere nominatim, satisque fuit secundum stilum vetustissimum Sanctæ Sedis, eum Vicariatum cum *pertinentiis universis* & *districtu* enunciare. Duces vero debebant Comaclum excipere sigillatim, si ii putaverant illud sub Vicariatu non inclusum, dum jam Iulius declaraverat Comaclum ad Sedem Apostolicam pertinere, & sub eo Vicariatu contentum: eaque Urbe una cum Vicariatu privaverat Ducem Alphonsum refractarium, & is sententiam probaverat, petita absolutione, & integratione ab Hadriano Iulii successore. Præterea D. Regens scribit Alphonsum I. lacessitum per Iulium II. objecisse Comaclum ad Imperium pertinere, neque Iulium sententiam privationis tulisse ex hac justissima causa, nempe ex quo Vassallus negasset dominium Domino supremo illud expetenti, quemadmodum Iulius Alphonso infensus non omisisset exprimere in Bulla, si putasset Comaclum ad se pertinere. Verissimum est Alphonsum de his mussitasse coram amicis uti Guicciardinus scribit, qui solum refert, Alphonsum cum audiret Iulium proclamasse coram Orbe Terrarum Comaclum Sedis Apostolicæ juris esse, coram amicis suis

suis dixisse, se COMACLUM ab Imperio recognoscere. Hoc ipsum in Bulla sua Iulius expressit in his verbis, *quod ipse impudenter negare non erubescit*, & non *imprudenter* uti perperam traditur: quicquid enim amanuensis in exemplari, quod D. Regenti traditum fuit, per errorem scripserit, ita in originali legitur & in eadem Bulla, quam Mazzochius, uti dictum est, vulgavit Romæ eo ipso anno, quo illa edita fuit. Iulius itaque edoctus de iis, quæ mussitabat coram amicis Alphonsus, uti Guicciardinus narrat, ea verba addidit enuncians eum *impudenter* negasse COMACLUM ad Sedem Apostolicam pertinere, non autem illud ad Imperium spectare, quod nusquam in Bulla expressum est. Edixit itaque Iulius Alphonsum verecundiæ fines pertransisse & negasse dominium Sanctæ Sedis in COMACLUM sine ratione & perperam, cum jam palam esset illud ad Romanam Ecclesiam pertinere. At quod negasset judicialiter & palam, an coram Amicis, uti Guicciardinus refert, id in Bulla neutiquam legitur. Manifestum autem est, Alphonsum dominium nunquam in scriptis negasse, neque in libellis, quos vulgavit. Siquidem in Conventu diei 25. Septembris probavimus tam in libellis, quam in scriptis, & coram personis publicis Alphonsum causas, quibus excusaret factum & peteret se sistere posse coram Clericis Cameræ & Quæstoribus Papæ, adduxisse, nusquam autem de dominio Ecclesiæ quæstionem refricuisse, sed e contrario Salinas COMACLI evertisse. Attamen Iulius ex hac etiam causa eum privavit, nam dum in sententia privationis, in qua inclusum fuisse COMACLUM affirmavimus, hanc etiam causam inter alias expressit, nempe quod Alphonsus dominium Ecclesiæ in COMACLUM *impudenter* negare non erubuisset, sententia privationis indefinita referri debet ad omnes causas in eadem designatas: neque opus erat in actu ipso privationis causas repetere, nam sufficit Dominum directum causas plures enunciare, ex quibus Vassallum pœna privationis afficiat, ut pœna ipsa ad omnes causas in ipsa sententia enunciatas referenda sit ex communi Doctorum opinione: & sic argumentum nostrum semper incalescit.

§. 32. *Alphonsus I. non reclamavit ad Cæsarem pro COMACLO, sed ad Gallos.*

Addit D. Regens non subsistere Alphonsum non reclamasse apud Cæsarem, & ad Tribunal Galliarum Regis appellasse, quin constare Cæsarem fecialem misisse, qui Pontifici nunciaret, ne Alphonso molestus esset, eumque Galliarum Regis opem invocasse quod Rex esset ei cognatus, & Iulius causas dissidiorum quæreret. Sed nihil horum subsistere manifesto probabimus. Guicciardinus lib. 9. pag. 335. & 341. edit. Florentin. & Venetæ Joliti pag. 415. & 423. narrat Cæsarem fecialem misisse ad Venetos non

non ad Julium. Ejus verba refert D. Fontaninus pag. 120. qui optime ponderat ea: *vi aveva mandato un Araldo a protestare, che non lo molestassero*, quæ referri non possunt ad Pontificem in singulari numero per Guicciardinum designatum, sed referenda sunt ad Venetos, quorum mentionem ille in plurali numero fecerat: quod patet etiam ex Cœlio Secundo Curione lib.9. pagina 860.Historici laudati interprete.Quod Alphonsus ad Tribunalia Galliarum appellasset patet ex Bulla Julii, in qua id narratur, atque ex iis, quæ ex Conciliabulo Turonensi refert D. Regens: unde constat de hac re in Conciliabulis & Tribunalibus Gallicis disceptatum. Falsum est in eo Conciliabulo assertum COMACLUM ad Imperium pertinuisse. Siquidem id non legitur in actis ejus Conciliabuli mutilis & truncis, ubi semper mentio fit *Vassalli Pontificis, a quo Ducatum Julius amovere volebat*, nusquam nominato Vassallo Cæsaris, aut assertis Imperii juribus:in quo Conciliabulo nec minus habetur conjunctio sanguinis Alphonsi cum Galliarum Rege, qui anno 1510. quo id Conciliabulum factum esse dicitur, nullam cognationem cum Alphonso contraxerat, ea namque contracta est anno 1528. quo Renata filia ejusdem Regis nupsit Herculi II. ut patet ex Genealogiis editis Ducum Estensium. Sed neque ea quæ leguntur sunt vetusta acta ejus Conciliabuli Turonensis, sed Ludovici Baillii novi auctoris: unde miramur confidentiam eorum, qui pro se laudant hoc Conciliabulum, illi adscribendo, quæ neutiquam habet. Varillassius auctor vitæ Ludovici XII. est scriptor fabulosissimus, & falsa narravit, cognationem Alphonsi ac Regis Galliarum referens, quæ tunc nulla erat, & supervenit post decem & octo annos: & multo magis error ejusdem arguitur ex iis, quæ contra tunc vulgare factum testatus est: is enim tradit Regem Galliarum utpote Cæsari fœderatum voluisse tueri Vassallum Imperii, quando Alphonsus cum Rege Galliarum tunc fœdus injerat, Cæsaris opem non invocaverat, neque Cæsarem advocaverat ad COMACLI jura tuenda, nam Jovius, Guicciardinus, Petrus Martyr, aliique ejus ætatis Scriptores solum Galliæ Regem tunc infensissimum Iulio II. propter Alphonsi I. jura sollicitum fuisse prodiderunt.

§. 33. Iulius II. privavit Alphonsum I. Ferraria & COMACLO, quod COMACLI sal fabricaret.

Præterea D.Regens Iulium II.ea fecisse tradit,quod Alphonsus damnum intulisset Salinis Cameræ Apostolicæ apud Cerviam sitis, ex quibus Sal Mediolanensi Ducatui subministrabatur non modico lucro ejusdem Cameræ. Nos dicimus veram causam dissidii fuisse, quod Alphonsus Sal legeret COMACLI, quod Alphonsum facere non potuisse Iulius pro certo habuit, ex quo COMACLUM

CLUM

clum ad Sedem Apostolicam pertinuisset. Hæc est causa expressa in Bulla Iulii: hæc eadem refertur per Guicciardinum, Iovium, & Petrum Martyrem Scriptores coævos: licet verissimum etiam sit Iulium II. Salinarum harum sollicitum propter Cameræ emolumentum, & sic non juvat referre mutila verba Guicciardini, sed omnia per eum relata legenda sunt. Regerit etiam in libello seu invectiva Ducis Alphonsi post mortem Leonis X. vulgata contra Iulium II. atque Leonem X. hæc haberi: *che avea occupato e rubato* Comacchio *alla Chiesa, e a Ravenna*. Hinc arguit Scriptorem hujus libelli putasse Comaclum ad Ecclesiam Ravennatem spectare, & sic non fuisse de districtu Ferrariæ. Hoc sane dictum Scriptoris hujuscemodi libelli omitti poterat, quando constat Iulium II. palam edixisse Comaclum ad Sedem Apostolicam pertinere: idque referri debet ad jura, quæ in Territorio Comaclensi Ravennas Ecclesia possidebat, deditque in feudum Abbati Pomposiano anno 1487. & dein anno 1547., idest Insulam & Portum Volani cum sua jurisdictione: quem Portum situm esse in Territorio Comaclensi Priscianus narrat, quemadmodum superius relatum est & late per D. Fontaninum pag.88. Secus nugatoria fuisset expressio,quod Comaclum abreptum esset Ecclesiæ Romanæ & Ravennæ, nam aut una aut altera eam Urbem possidere debuisset. Contra acta Iulii II. cui adscribitur processus in Alphonsum confectus, asseritur eundem Pontificem pro re temporali & ad vindicandum dominium Comacli ac Salinas, censuris perculisse Ducem laudatum contra omnia juris principia: quæ docent Pontifices non posse uti gladio spirituali in concernentibus temporale dominium. At ii, qui adducuntur ad id probandum, id non affirmant: nam Cardinalis de Luca,Bellarminus, Suarez, & alii scribunt quidem distinctam esse potestatem Pontificis in temporalibus a spirituali, at nusquam ausi sunt asserere Pontifices non posse ad tuenda bona & jura temporalia Ecclesiæ Romanæ gladio spirituali uti. Si enim Episcopus, quin Archidiaconus & Decanus ordinariam potestatem habentes possunt sententiam excommunicationis ferre in potentes & Principes, qui invadunt bona, & prædia temporalia Ecclesiæ suæ, uti cavetur in Cap. *Dilecto filio 6. de sent. excommunic.* ubi Canonistæ communiter; patet id multo magis posse Romanos Præsules in occupantes bona & jura Ecclesiæ Romanæ, & sic Urbes, jurisdictiones & regalia etiam temporalia ejusdem. Quare res adeo notoria est & vulgaris, ut nemo Catholicorum eam impugnaverit, & Pontifices ipsi in Bulla Cœnæ Domini, quæ vetustissima est & quam publicare consueverunt quotannis longe ante

ante ætatem Clementis V. diris, & censuris animadverterunt in usurpatores Civitatum, ac Regalium Beati Petri.

§. 34. Supremum dominium Ecclesiæ in COMACLUM invictis argumentis probatum.

His objectionibus per nos sublatis, facile est intelligere quam firma consistant ea, quæ retulimus in Conventu diei 25. Septembris, & probatum esse Iulium. Non obstantibus inanibus conatibus Alphonsi I. COMACLUM declarasse ad Romanam Ecclesiam spectare, & Vicariatui Ferrariæ inclusum, privasse Vicariatu eundem, & COMACLO etiam quod Sal legeret in COMACLENSI agro & *impudenter* dominium Ecclesiæ Romanæ negare non erubuisset: quæ causæ in sententia privationis inter alias expressæ fuerunt: coegisse itidem eundem Ducem ad Salinas COMACLI evertendas; Alphonsum vero coram Ministris Pontificis tam ante, quam post mortem Julii II. scriptis & libellis, quos vulgavit, numquam dominium Ecclesiæ in COMACLUM controvertisse, ac diris, censurisque perculsum, non Imperium, sed Regem Galliarum advocasse: deinde obtemperasse, obtulisse etiam, eversis Salinis, se staturum coram Quæstoribus Pontificis & demum Hadriani VI. ætate obtinuisse gratiam integrationis ad Ducatum Ferrariæ ejusque Vicariatum una cum Civitatibus & districtu ejusdem, quibus a Iulio ante privatus fuerat: & sic probasse sententiam privationis, quemadmodum in instrumento laudato clarissimis verbis expressum est ubi dicitur Alphonsus acceptasse integrationem obtentam ad Ducatum Ferrariæ & absolutionem. Hæc nisi probant, COMACLUM ad Sedem Apostolicam pertinuisse & Vicariatui Ferrariæ inclusum, vix dari poterit casus, in quo dominii & jurisdictionis exercitium æque probari possit.

§. 35. Capitula conficta in re COMACLENSI, tanquam inita inter Leonem X. & Alphonsum I.

Addidimus in sæpe relato Conventu inter pacta inita inter Hadrianum VI. & Ducem Alphonsum, quibus integratio per Hadrianum emissa fuit & Vicariatus investitura, inhibitum fuisse Duci Sal legere COMACLI, & soli Pontifici id concessum & id probare, agnitum fuisse per Alphonsum idem regale supremi Principis in COMACLUM ad Romanam Ecclesiam solam pertinuisse, & sic COMACLUM ad eandem spectasse. Hoc clarissimum argumentum nunc subvertere studet D. Regens adductis quibusdam Capitulis initis, ut putatur, inter Leonem & Alphonsum I. jura Imperii præservantur. At parcet spero, mihi vir eruditus, qui aliorum fidem sequutus est, si dixero & probavero eadem Capitula non vera, sed supposititicia undequaque manifestari. Ea prodierunt duo secula postquam facta fuisse dicuntur: nec quisquam eorum unquam mentionem fecit. Immo Ministri Estenses, qui suas *Observationes*, & deinde *Supplicationes* nuper vulgarunt, in-

 qui-

quibus, ut COMACLUM sibi vindicarent, omnem lapidem moverunt, tentantes usque ad nauseam supremum dominium Status Ecclesiastici subvertere, & Romanos Pontifices ut Vicarios Imperii, Vassallosque Cæsarum traducere, moleste repetentes quæ Goldastus, quæ Molinæus, Conringius aliique hujus farinæ homines hac de re in suis scriptis pestilentissimis cumulaverant, nusquam hæc pacta & id instrumentum adducere ausi sunt, tametsi exagitati pactis inter Hadrianum VI. & Alphonsum I. per Defensores S. Sedis relatis, eorum vim variis inanibus conatibus declinare studuerint. Quare credendum hæc pacta aut recenter conficta, aut pridem omissa, quod ipsimet viderent eadem a vero summopere abludere. Et quidem si hæ conventiones Hadriani VI. ætate, super Salinis COMACLI jam initæ fuerant, & in eis jus Imperii in COMACLUM præservatum fuerat, cur nulla eorum mentio habita fuit in contractu deinde super eadem re paucos post annos cum Hadriano VI. facto? Cur in eo Alphonsus hæc jura Imperii sibi non reservavit? Cur investituram & integrationem ad Vicariatum Ferrariæ accepit ab Hadriano VI. sub conditione intra quindecim dies eum contractum ratum habendi? Cur in instrumento rogavit Hadrianum, ut is corrigere dignaretur ea pacta & tamen Capitula subscripsit & acceptavit, quamvis Pontifex jam statuta pacta nullo modo corrigere vellet, quemadmodum noluit? Si ea pactio cum Leone X. tunc extitisset, utique Alphonsus ejus meminisset in Instrumento cum Hadriano VI. super iisdem Salinis & eadem re confecto: neque rogasset Hadrianum, ut corrigere dignaretur conventiones eodem tempore, quo illas subscribebat; sed supplicasset, ut pacta Leonis firma essent aut saltem aliquod eorum vestigium in recentibus pactis adhuc remaneret. Alphonsus insuper in Capitulis Hadriani VI. renunciavit juxta Notariorum stilum omnibus & singulis exceptionibus & defensionibus, *quibus mediantibus* contra pacta statuta *dicere, facere, vel opponere posset*. Capitulis autem assertis Leonis X. sibi utilibus & Cameræ Apostolicæ onerosis, immo indignis nomine & inscriptione Pontificia, quibus penitus per conventiones Hadriani VI. his contrarias derogatum fuerat, non renunciavit, immo eorum nullam mentionem fecit. Quis autem arbitrabitur Ministros Pontificios scientes Alphonsum I. potuisse eas pactiones opponere, & deinceps eis uti, adeo stupidos fuisse, ut iis renunciari per Alphonsum negligerent: eorum etiam pactorum nomen præterirent, si revera tunc facta fuissent? Nemo sane. Quis affirmabit Alphonsum I. pactis sibi favorabilibus jam cum Leone X. initis, & transactione super eadem re legiti-

gitime facta, ea posthabita & nequicquam enunciata, assensum suum dedisse Leone defuncto, novæ concordiæ, in qua jura sua jam quæsita perdebat, pacta subibat Vassalli, & cedebat quicquid in contractu jam firmato acquisiverat? idque fecisse nulla exceptione proposita, sine strepitu, tanta cum patientia? hujuscemodi arcano nulli etiam familiari patefacto, itaut Aula, ejus ætatis Principes, amici, & familiares Alphonsi conventiones initas inter ipsum & Leonem X. ignoraverint, & nemo ejus ætatis aut seculi scriptor, neque ii, qui fastos Estensium memoraverunt, & quæ Dominis suis proderant, extulerunt, potuerint hujus pactionis nomen audire? Si Hadrianus VI. coegisset Alphonsum ad innovationem Capitulorum Leonis X. ac noluisset eas pactiones servare & alias proposuisset, quibus juribus Alphonsi & Imperii derogaretur, proculdubio res fuisset clamore & strepitu gravida, ac nota historicis præsertim Estensibus & hominibus cunctis tunc viventibus.

§. 36. Capitula inter Leonem X. & Alphonsum I. falsitatis convincuntur ex Laudo Caroli V. aliisque pluribus.

In pactis istis Leonis præservantur etiam jura Imperii & Cæsaris, itaut Dux promiserit Sal non legere Comacli, & permiserit (ut ex adverso asseritur) Leonem Sal ibidem fabricare *senza pregiudizio delle ragioni della Cesarea Maestà, e non altrimenti, ne in altro modo*: unde educitur agnitum tunc fuisse jus Imperii in Comaclum. Cur vero Carolus V. Cæsar in Laudo, quod postea tulit in controversiis super pluribus & omnibus Civitatibus, locis & Castris, pendentibus inter Pontificem & Alphonsum, mandaverit expresse servari per Ducem Capitula Hadriani VI. in quibus nulla fit reservatio jurium Imperii, non autem pacta Leonis, tacito etiam eorum nomine, ipsi inquirant, qui hæc e tenebris erunt. Qui non cæcutiat, intelligit eum Imperatorem, qui in Laudo suo plures Civitates & Castra Imperio adjudicavit, eaque ad Romanam Ecclesiam non pertinere promulgavit, haud negligere debuisse ut Alphonso imperaret observantiam conventionum Leonis Imperio faventium, non vero earum Hadriani VI. sed hoc facere non potuit Cæsar, quoniam eæ pactiones tunc neque Alphonso ipsi, neque Cæsari innotuerant. Præterea Leone mortuo, Alphonsus edidit libellum seu potius *invectivam* Carolo V. inscriptam in Julium & Leonem, in qua conqueritur de damnis, injuriis & violentiis sibi illatis per eosdem Pontifices, ob sibi inhibitum Sal Comacli legere. Id probat nullas pactiones super Salinis Comacli tunc factas inter ipsum & Leonem, nam si eæ veræ fuissent, Alphonsus in ea *invectiva* non excanduisset in Leonem defunctum, qui in Capitulis Salinarum cuncta ei concessisset; præservasset jura Imperii in Comaclum, & sic contraxisset,

ut non Leo, sed Alphonsus supremus Dominus Ferrariæ & Comacli videretur, ut infra dicemus. Quamobrem in eo libello debuisset Leonis mansuetudinem & liberalitatem laudare, neque potuisset conqueri de injuriis & violentiis sibi illatis & perperam *invectivas* publicasset post cuncta composita, aut saltem eas pactiones Leonis in libello enunciasset. Fallitur porro D. Regens putans *invectivam* hujuscemodi publicatam in Julium vivente Leone; nam constat re vera eam palam factam post Leonis obitum: satis enim est eam legere, ut pateat in ea Julii & Leonis facta regeri, eamque typis editam Romæ & Florentiæ anno 1522. una cum responso, uti refert D. Abbas Fontaninus pag. 122. & 123.

§. 37. Alia argumenta quibus Capitula inter Leonem X. & Alphonsum I. falsa esse monstrantur.

Hæc sunt quæ extrinsecus innuunt pacta Leonis super Salinis Comacli omnino esse conficta. Nunc examinemus & quæ intrinsecus hanc rem dilucidam faciunt. Occurrit primo rei legalitas. Notarium Mutinensem, qui exemplar nobis communicatum a se erutum ex ipso *originali* tradere ausus fuerat, dicti sui postea pœnituit, ideoque atramento delevit quod antea scripserat, addique curavit aliena manu verba hæc: *ex authentico*, cum in Conventu diceretur, autographum Romæ servatum. At Romæ in Archivis Romanæ Sedis nusquam, præmissis omnibus diligentiis, id autographum neque apographum servari didicimus: neque profecto servari poterat, quod nusquam gentium fuerat. Idem commenticium instrumentum dicitur Romæ confectum in *Camera habitationis* Juliani de Medicis Leonis Nepotis per Iulium Cardinalem S. Mariæ in Domnica delegatum, prævio speciali mandato, a Pontifice, *uti apparet in Instrumento rogato per me Notarium anno die mense loco & testibus in ipso contentis*, præsentibus Amedeo Vicario generali Domini Cardinalis de Medicis, *& Benedicto Cancellario Reverendissimi & Illustrissimi D. Cardinalis Estensis*. Notentur testes. Pacta hæc, quibus componebatur res tot annis acta, tot bellis & motibus gravida, toti Orbi notissima, & quæ universam Italiam exagitaverat, firmantur coram duobus privatis testibus, clam, janius clausis, sine Ministris Sedis Apostolicæ & sine præsentia gravissimorum Virorum. Res quidem nova & contra morem Apostolicæ Sedis. Notetur Notarii studium: qui tametsi Notarius Pontificis & Romanæ Curiæ asseratur; attamen Iulio Cardinali per Pontificem Procuratori designato titulum solum *Reverendissimi* tribuit: neque ejus cognomen explicat, secus ac egerat cum Hippolyto Cardinali, quem *Estensem* appellat *& Illustrissimi & Reverendissimi* titulo decorat. Advertatur quoque enunciatio mandati procuræ facta per Notarium & sic fundamenti contractus, sine quo nec Julius Car-

Cardinalis, neque Sacrum Collegium universum hæc pacta firmare potuisset, cum asseratur mandatum procuræ per Pontificem datum mediante instrumento contra stilum Pontificum, qui per chirographum sua manu subscriptum vel per literas in forma Brevis, aut coram Protonotariis Apostolicis has delegationes, præsertim in re gravissima & tamdiu armis scriptisque discussa, facere semper consueverunt. Ne autem instrumentum mandati procuræ sciri posset, illud in Capitulis iisdem hoc pacto enunciatur: *anno die mense, loco & testibus in ipso contentis*. Hoc quidem scitu dignissimum est & ex adversariis ipsis cachinnos elicere debet. Notarius quoque referens mandatum procuræ Cardinalis Hippolyti Estensis, illud sine die, anno, mense, & testibus regessit, ne scilicet mandati Alphonsi, non Romæ, sed Ferrariæ scripti, quod per nos suppressum dici non poterat, defectus ex revolutione eorundem actorum, appareret: sive potius ne res insolita videretur, aliud mandatum Pontificis eodem stilo confictum, sed hæc levia sunt: si cum ceteris comparentur, quæ eadem pacta falsitatis accusant. Jam eadem percurramus, ut pateat quam insulsa & inepta sint, quamque nomine ac dignitate Pontificia indigna: quam sint a vero absona, ad nauseam repetita, confusa, & illuc directa, ut supremum etiam dominium Ferrariæ, & universi Vicariatus labefactarent. In eis primo loco præservantur *jura Imperii* in COMACLUM, & quod lepidum est, Pontifice annuente & præservante jura Sanctæ Sedis. Quid turpius haberi potest? Iulius II. propter dominium & regale jus Salinarum COMACLI, tot bella, tantosque sumptus exhausit, censuris, dirisque Estenses subjecit & tamen Leo parum sibi constans sine ratione & causa dominium istud libere cedit & facto suo ultro amittit? Id sane nemo cordatus sibi unquam suadebit. Alphonsus jura sua Sal COMACLI legendi cedit Pontifici, dat eidem spatia soli nedum COMACLI, sed Ferrariæ & in ejus Territorio, idque nullo pretio soluto, eoque donato, ac si ipse, non Pontifex, supremus Dominus fuisset. Tribuit etiam Leoni facultatem ducendi per totum dominium suum & sic Territorium quoque Ferrariæ & per loca Status Ecclesiæ in feudum ei data, Sal liberum & exemptum *d'ogni dazio e gabella*, ac si Princeps supremus volens ducere fructus suos per feudatarii loca, datiis, & gabellis solvendis subesset. Statuit itidem omnia ad COMACLUM, ejusque Territorium spectantia, excepta Salis fabrica, ad se, suosque successores pertinere *liberamente e senza alcuna eccezione*: voluitque Salinarios Pontificis tantum mandata & sententias super rebus ad Salinas spectantibus ferre posse: eas vero executioni mandari per conducto-

ductores suos COMACLI: & appellationum causas ad officialem suum COMACLI devolui: ex quibus pactis nemo non videt Leonem vel agnovisse dominium COMACLI & universi Vicariatus Ferrariæ ad Romanam Ecclesiam non pertinere: vel illud in magna obscuritate reliquisse: quod verosimile non est, cum illud censuris, bellis, & magnis sumptibus pro Sede Apostolica sustinere semper conatus fuerit. Alphonsus voluit, ut damna ob Sal COMACLI fabricandum piscariis Vallium illata, per Pontificem reficerentur, & explorata fierent per duos arbitros vel in eorum discordia per tertium a Reipublica Florentina eligendum. Cavit etiam Ministros Pontificios concedere haud posse Sal *al alcun Suddito o Vassallo del prefato Signor Duca* sub pœna centum ducatorum quavis vice: hoc addito, quod ipsi dumtaxat competeret facultas Sal Subditis suis vendendi *in ogni parte del suo dominio, & a tutti i suoi Sudditi e Vassalli*. Hinc Leo perdidisset regale jus vendendi Sal privative ad alios super Ferraria ejusque Vicariatu, etiam ex iis, quæ nuper adduxit D. Regens, qui memoravit jus regale consistere in jure privativo vendendi Sal Subditis suis. Præterea etiam voluit, aliquos suos Subditos posse uti libertate Sal accipiendi a quocunque loco & Principe extero, expressis his locis, *cioè Adria & Adriano, Bersello, e Castelnovo di Parmesana*. Si Adria ex confessione D. Regentis toties inculcata in omnibus Conventibus, ab etate Sixti IV. (sed verius Julii II.) ad Venetos pertinebat ex cessione per Ducem Herculem aut per eundem Alphonsum iisdem facta, ut Ministri Cæsarei opinantur, vel ex Julii II. conniventia, aut ex fœdere cum Venetis icto, uti superius relatum est; ignoramus cur in Capitulis jam dictis Adriam anno 1514. ad Alphonsum pertinuisse, locusque eidem subjectus tunc fuisse dicatur. Si Adrianum erat, & est in Territorio Ferrariensi ac sub Vicariatu Ferrariæ inclusum, cur Leo id egerit, ipsi videant, quibus sic fabulari volupe est. Præterea si Leo pacta in totum aut pro parte non servasset, datur optio Duci aut agendi ad damna aut a contractu recedendi & nullum pactum servandi, etiam minimum. Si vero ipse defuisset Pontifici, hæc optio non conceditur, sed tantum jus ad damna & interesse agendi. Magna itaque hæc est inæqualitas, quam vix Pontifex cum quocunque Monarcha transigens, amplexus fuisset. Cautum quoque ibidem est, quod si Pontifex Sal intra quinquennium COMACLI fabricari non faceret, aut prius se nolle declarasset, pactiones omnes irritæ essent, COMACLUM ad Ducem & successores suos cum Vallibus, & Territorio spectaret, & Dux ibidem Sal legere nequiret: sed Camera Pontificia ei daret insignem quantitatem Salis Cerviæ pre-

pretio minimo pro neceſſitate ſuorum Subditorum, Terrarum, ac locorum etiam, quæ is poſſidebat in Statu & ditione Eccleſiaſtica, addita etiam inſigni quantitate ſine pretio *per ricompenſa del dazio*, & ſic in obſequium donationis gabellarum & datiorum, quæ alias ſolvenda fuiſſent per Papam pro Sale ducendo per loca etiam ſui ſupremi dominii: quo nihil turpius.

§. 38.

Alia objecta Capitulis fabuloſis inter Leonem X. & Alphonſum I.

Dum in his confictis Capitulis enumerantur loca poſseſsa per Ducem, quibus certa pars ſalis ex pacto danda erat, Policinum Rhodigii ſic ponitur: *e per il Poleſine di Rovigo ſacchi* 1500. *di ſale*: Policinum jam Duci ablatum per Venetos, illiſq; ceſſum in pace inter Sixtum IV. Ducem Ferrariæ & Neapolis Regem, centies nobis objectum fuit: atque ideo fateantur oportet, eum, qui hæc capitula confinxit, ejus ceſſionis oblitum fuiſſe. Statutum quoque in caſu belli ſuſcipiendi cum finitimis Principibus volentibus ſal ducere per Civitates & loca dicti Ducis, Pontificios milites mittendos ex pacto ad loca per Ducem poſſeſſa: & ſic etiam Ferrariam & ad Vicariatum, ſine facultate Alphonſi non poſſe hoſpitari in Civitatibus aut locis prædictis. Quod ſane pactum ſupremo dominio Eccleſiæ in Ferrariam adverſatur. Sunt etiam plura hujus inſtrumenti Capitula repetita, nam Caput XVI. repetitur iiſdem verbis in Cap. XXIII. & XVII. in Cap. XXV. Et quod plus eſt, poſtrema pacta impoſturæ larvam detrahunt: *Item perchè le parti per ora non hanno comodità, nè tempo di fare eſtendere e ponere li detti Capitoli in Latino, ſi ſon convenuti, che ſiano ſtipolati così volgari, come ſtanno con queſto, che quando parerà tempo a Noſtro Signore fra un anno o due, ſe abbiano per due Dottori chiamati uno da ogni parte a ponere in Latino in buona forma, non mutando la mente e ſentenza de' contraenti*. Quis unquam ſimilia audivit? Eratne Romæ ſub Leone X. in Aula Pontificis penuria Virorum, qui tunc potuiſſent pacta Latina conſcribere? Opuſne erat ea pacta Latine, non vero Italice firmare? Erat ne hic actus extemplo tractatus in platea aut in vicis, ut tunc ita propere complendus eſſet, & commoditas ac tempus ea Capitula Latine ſcribendi deeſſet? Fortaſſe dubitabat Pontifex, Alphonſum I. contractus adeo ſibi utilis & Eccleſiæ Romanæ incommodi, pœnitere potuiſſe? Debebatne poſt contractum perfectum nova quæſtio & recens bellum fieri, & duo Doctores vocari ad extendenda ſermone Latino verba, non immutata mente & ſubſtantia, ac ſi ruri eſſent hæc pacta firmata? Ego hercle putarim rem magis inſulſam & ridiculam, ac Romæ, Pontifici & Cardinalibus, qui Procuratores fuerant, contumelioſam antehac nunquam auditam. Alterum Capitulum hoc modo conceptum eſt:

eſt: *Item promette, che detto Reverendiſſimo Cardinale Eſtenſe, Procuratorio nomine, che in caſo che certe promeſſe fatte o da farſi da Noſtro Signore al predetto Duca abbino effetto, le dette ceſſioni & obblighi abbino loco e ſiano valide, aliter non, nec alio modo &c.* Qui legit hoc pactum & non cæcutiat, commentum hujus inſtrumenti manibus tangit. Nam ita contractus & omnia pacta irrita fiebant, niſi Pontifex executioni mandaſſet quaſdam promiſſiones *factas* aut *faciendas*: & ſic ab arbitrio Alphonſi omnia pendebant: ſatis enim illi fuiſſet allegare non fuiſſe adimpleta promiſſa & promittenda, quæcunque poſtea illa eſſent aut eſſe debuiſſent. Pontifex nequicquam adhuc promiſerat, & nihilominus quæ promittenda erant, impleri debebant: & niſi implerentur, contractus diſſolvebatur. Hoc genus contractus neque ſtultorum eſt, neque ignorantium. Sed omnino inſanire debuiſſet Aula Summi Pontificis, ut hæc pacta expanſis ulnis amplecteretur. Hinc videre eſt quibus armis Miniſtri Eſtenſes digladientur, quæque producant ac ſuppeditent clariſſimis Cæſareis Miniſtris, ut Comaclum ad Imperium vindicare poſſint & robur deſtruere, quod ex veris Capitulis Hadriani VI. Sedi Apoſtolicæ aſſiſtit. Sed illud amplius dico, ſi Capitula iſthæc Leonis X. veriſſima eſſent: quæ tamen undique pro commenticiis ſe produnt, adhuc ex Hadriani VI. pactis jura Sedis Apoſtolicæ fortiora apparerent. Siquidem manifeſtum eſt, Leone defuncto, Alphonſum cum Hadriano ſuper iiſdem Salinis contraxiſſe, pactaque firmaſſe pſeudo-Leoninis contraria: & ſucceſſores Alphonſi poſteriora pacta Hadriani ſervaſſe: atque hæc & non illa Leonis Carolum V. ſervari mandaſſe in ſuo Laudo, quod protulit ſuper litibus inter Apoſtolicam Sedem & Ferrariæ Ducem. Hæc tantum executioni mandanda edixerunt Paulus III. Julius III. Paulus IV. Pius IV. & V. qui omnes conceſſerunt Ducibus Ferrariæ facultatem legendi ſal Comacli ſub variis modis ac conditionibus in exequutionem Capitulorum Hadriani, quemadmodum retulimus in ſæpe laudato Conventu diei 25. Septembris. Ergo per pacta poſteriora & pſeudo-Leoninis contraria, & quidem ſemper ſervata, receſſum fuiſſet ab iiſdem Capitulis pſeudo-Leoninis: atque hæc inania, irrita, nulliuſque momenti evaſiſſent. Ex his patet majora Sedis Romanæ in Comaclum jura erui; nam ſi in poſteriori contractu nullum jus Imperio fuit reſervatum, ſed omnia diſpoſita, ac ſi Alphonſus eſſet vaſſallus Pontificis, Comacli ſupremi Domini: & jus Regale ſal legendi & fabricandi uni Romano Pontifici datum fuit; hæc evenerunt, quia innotuit Capitula Leonis erronea; eo inſcio inita & ſine ejus mandato, quod nus-

nusquam apparuit, ideoque irrita & contra veritatem facta : quæ magis innuunt, tunc palam factum Ecclesiæ dominium, propterea; a prioribus Capitulis recessum: & in Capitulis Hadriani Regale jus in COMACLUM inclusum, dum Alphonsus putaverat hanc rem statui non potuisse, nisi reservato jure Cæsaris, prout expresserat in assertis Capitulis Leonis : quod reservari non oportuisset, si de jure Regali & supremo dominio nihil actum fuisset. Conatur Dominus Regens ostendere ipsa Hadriani Capitula continere reservationem jurium Imperii. Sed irrito quidem conatu : nam pactum, quo inhibitum fuit Alphonsum se submittere protectioni exterorum Principum, etiam Imperatoris, excepta tamen Imperiali auctoritate quoad feuda & loca, quæ Dux ab Imperio in feudum tenebat, nihil probat, petitque principium; cum pateat, COMACLUM ex clarissimo diplomate Rudolphi I. aliisque in Conventu relatis, ad Sedem Apostolicam pertinuisse & spectare : idque pactum in Capitulis Hadriani VI. adjectum intelligitur ob ea quæ Dux ab Imperio recognoscebat. Nec poterat referri ad COMACLUM, quod in eodem Capitulo, ubi id pactum expressum est, Sedis Apostolicæ esse declarabatur, dum ibidem statutum fuit, jura COMACLI suprema & quidem privative etiam ad Cæsarem, Romanæ Ecclesiæ esse per illa verba : *solus Pontifex sal* COMACLI *libere fabricare possit, si & quando illi videbitur*. Repetit etiam, pactum ejusmodi non definire jus Regale in COMACLUM : & potuisse Ducem Alphonsum, tanquam feudatarium etiam Ecclesiæ habentem jura Regalia ac possidentem feudum dignitatis, sal COMACLI legere, ideoque inique vexatum per Julium II. His plene respondimus in Conventu diei 25. Septembris, ubi probavimus aliud esse prohibere, ne vassallus sal colligat & fabricet, aliud esse statuere, ut in eo loco vel Civitate solus Dominus possit sal legere. Primo casu inhibitio est æquivoca, nam potest referri etiam ad interesse Domini, qui nolit fisco suo damnum fieri. Sic Veneti, qui sal suum vendere volebant, pacto convenerant cum Ducibus Ferrariæ, ne sal COMACLI legeretur: idque factum ob interesse, licet Veneti non essent Domini COMACLI, sed ex pacto. At quando etiam Pontifices non solum inhibuerunt, Alphonsum absque ullo pacto præcedenti sal COMACLI legere; sed statuerunt se illud in agro COMACLENSI legere posse, & quidem libere & solos; & sic privative ad omnes alios, etiam ad Cæsarem; nemo non videt id sine supremo dominio fieri non potuisse. I. quia hæc inhibitio fieri non potuisset Alphonso, nisi COMACLUM ad Sedem Apostolicam pertinuisset: nam Pontifex neque in Investitura, neque in pacto ullo convenerat cum Alphonso, ne sal legere posset

COMACLI,uti Veneti fecerant. Quamobrem ille potuisset COMACLI facere quæ volebat, tametsi id Cameræ Pontificiæ obfuisset, cum respectu ejus Urbis, non fuisset vassallus Ecclesiæ. II. quia sal privative legere & privative fabricare est de regalibus supremis; nam sine dominio supremo non possunt hæc fieri & ipsi Doctores, qui ex adverso adducuntur id probant, dicentes ex generali consuetudine omnium Principatuum (quicquid sit de jure communi) Salinas etiam in privatis locis existentes, esse de regalibus, ut ipse Episcopus Rocca select. cap.69. n.13. & 14. probat. Positas vero in locis publicis vel fiscalibus esse de regalibus,etiam de jure, ut idem probat n.1. & innumeros Doctores in eam sententiam ibidem cumulat.

§. 39. Salinæ COMACLI de supremo regali jure ex Capitulis pseudo-Leoninis.

Cum anno 1658. valles COMACLI a Camera Apostolica repetere vellent Estenses Gallorum potentia freti, disceptatum fuit,an eæ valles essent feudales,an allodiales:& probatum eas esse feudales, quod in eas aqua maris introiret, quæ est de regalibus Principis: omnia enim, quæ mare alluit, sunt de regalibus. Cum itaque sal COMACLI ex aqua marina alluente valles fabricaretur, hinc patet Salinas fuisse in locis publicis & sic de regalibus, quippe sal COMACLI non nascebatur e terra, uti contingit in pluribus Insulis locisque, sed fiebat ex aqua marina, loca quæ alluit,faciente publica. Quare tam ex consuetudine generali, quam ex qualitate salis id jus erat Regale. Quatenus etiam loca fuisent privata & non publica; nam Salinæ non sunt de regalibus, & spectant ad privatos de jure, si in loco privato eæ sint. At quisque privatus in solo suo potest sal legere,& sic non potuisset Alphonsus I. solus COMACLI sal fabricare, si res ita se habuisset. Et quod plus est,dum Pontifex sibi id jus privative reservavit, hæc privativa non poterat assumi contra privatos Dominos sine Regali jure. Quamobrem Doctores docent in ista privativa sal fabricandi jus Regale consistere ex Barbos. in l.divortio, §. *si vir* n.28. ff.solut. matrim. qui in Terris Ecclesiæ id indubitatum esse asserit. Objiciunt jus Regale fundari super jure privativo sal vendendi subditis pretio aucto, non super jure sal legendi. At summopere allucinantur,nam Barbosa, quem adducunt in d.l.divortio,§.*si vir* n.27. in fin. 28. & 29. præsertim vers. *sed non recedendo*, testatur Principes omnes ipsas areas Salinarum & Salinas etiam in fundis privatis fecisse de Regalibus,sicuti fodinas auri & argenti,easque locare consuevisse Conductoribus fiscalibus,& Philippum Hispaniarum Regem revocasse donationes Salinarum & arearum hujusmodi per prædecessores suos factas, *quasi tanquam jus Regale eæ donari non potuissent, idque justum reputatum fuisse per Rojas in*

in epit. success. ab intest. cap. 34. *n.* 34. uti Barbosa subdit. At quando jus Regale adhæsisset juri privativo sal vendendi subditis suis, nonne id jus in dictis Capitulis Pontifici concessum fuit? Ubinam Dominus Regens legit id Pontifici negatum? Quippe libere poterat Pontifex sal COMACLI legere & solus, & lectum poterat vendere subditis suis privative, exteris quoque & omnibus: nam id Pontifex non fecit, ut sal perderet: sed ut illud libere vendere posset. Subdunt, in Capitulis promissos Duci ex eo sale duodecim mille & quingentos saccos, solutis tantum expensis fabricæ, & concessam eam quantitatem percipere *pro usibus suis in dominiis & territoriis suis*. Hoc pactum nihil obest, siquidem notandum est ex Capitulis pseudo-Leoninis resultare Ducem majorem quantitatem saccorum decem & novem millium sibi reservasse cum pacto & facultate ultra aliam salis quantitatem pro usu suo & suorum eam summam distribuendi ac vendendi locis sibi subjectis, expressis singillatim etiam Ferraria, districtu, Villis, Castro Plebis & aliis, quæ a Romana recognoscebat Ecclesia, unicuique certa mensura assignata. At vero in Capitulis Hadriani VI. non conceditur facultas vendendi: non sal distribuendi locis illi subjectis; sed simplex & nudum jus promissam quantitatem percipiendi, & quidem longe minorem *pro usibus suis in dominiis & territoriis suis*: quæ verba strictissima sunt, nec jus vendendi innuunt. Et quando id innuerent, non concludunt jus illud privativum vendendi, Ducibus competiisse, iisque datum, quod id Regale jus haberent. Immo & pacto & concessione Pontificis tributum. Aut enim Dominus Regens putat datum Duci jus hoc sal vendendi Ferrariæ, & in districtu ac territorio, necnon aliis in locis, quæ ad Romanam spectabant Ecclesiam, & in feudum tunc Alphonsus ab ea tenebat; aut non. Si negat; jam patet id jus sal COMACLI lectum privative vendendi in iis locis Pontifici reservatum, & Alphonso feudatario negatum fuisse, in quo jus regale ipse Dominus Regens consistere sibi nimis facile opinatur. Si affirmat; ergo id non jure proprio, sed ex pacto & concessione Pontificis Alphonso concessum, dum includit Ferrariam & loca jam enunciata sine dubio ad Romanam Ecclesiam spectantia, & in quibus Alphonsus Regalia exercere non poterat, nisi ex Pontificum placito: & sic quocunque se vertat fateri compellitur has pactiones Regale jus in COMACLUM præseferre. Præterea Pontifices poterant COMACLI sal non colligere: etenim in Capitulis non obstringebantur: sed in eorum potestate erat id facere; & tamen quantitatem salis promissam Duci pro usibus suis in dominiis & territoriis suis dare quotannis tenebantur.

Quare patet id pactum non referri ad sal COMACLI dumtaxat legendum: quod expressum non est; sed ad sal etiam Cerviæ & in aliis locis per Pontifices collectum, quo fit argumentum corruere, & potuisse Pontifices sal COMACLI legere, illud vendere aucto pretio, neque Ducibus dare, sed & sic Regale jus exercere. Pacto eodem statutum quoque est, non licere Alphonso & suis sub certa pœna dictum sal receptum a Camera, mittere ad alia loca: quod probat Regali jure Alphonsum caruisse, & facultate præfata potitum ex concessione Summi Pontificis.

§. 40. Soli Pontifices, tanquam supremi COMACLI Domini, ibidem Sal collegerunt.

Jam vero clamitent, Alphonsum jus suum cessisse Pontificibus: Regalia sua illis dedisse, & ex pacto per Pontifices id acceptum, quod ji non habebant. Hæc enim facta non sunt nec fieri poterant ab Alphonso, tamquam vassallo Imperii: nam convenit, solos Romanos Pontifices, privative etiam ad Cæsares Sal COMACLI legere. Is vero non potuit obtinere nisi certam Salis mensuram, & quidem non salis ipsius COMACLI, sed undequaque legendi, pro usibus suis tantum in dominiis & Territoriis suis, & restrictam ad puram necessitatem, quique pœnam se subiturum professus fuit, quatenus eam quantitatem ad alia loca duceret: passus est Pontifices COMACLI Sal collectum cunctis libere vendere posse. Neque sibi expresse cavit, ne in locis, & dominiis suis illi Sal venderent; quique tandem permisit Pontifices terras COMACLI ubi fabrica & officinæ statuendæ erant, illud recipere: Valles piscarias devastare, aggeres evertere, ceteraque facere, quæ Domini solent in dominiis suis. Quod si Alphonsus I. volebat non uti Vassallus Pontificum, sed tanquam Feudatarius Imperii contrahere, Capitula quæ cum Leone X. facta esse frustra dicunt, firmare debebat in illis namque, uti dictum est sibi super omnibus prædictis caverat & Pontificem potius Vassallum suum, quam Dominum agnoverat. Quid ergo prosit asserere Alphonsum potuisse Sal COMACLI legere etiam tanquam feudatarium Ducatus Ferrariæ, idque jus Regale exercere, atque ideo factum Iulii II. injustum esse, mihi non liquet. Id tantum scimus, prædicta ea omnia facta esse, & Iulium putasse Alphonsum non potuisse Salinas COMACLI possidere, Sal legere, & vendere addita causa in Bulla, quam vulgavit, quod COMACLUM esset Ecclesiæ, & ab ea illud Dux recognosceret, & sic edicendo id jus Regale fuisse, atque ab Alphonso invasum; eum obtemperasse, & deinde cum Hadriano convenisse Sal COMACLI se nunquam lecturum illudque solos Pontifices colligere posse; Doctores quoque docere in Terris Ecclesiæ Salinas de Regalibus esse, ac Principes consuevisse non solum feudatariis eas negare, sed Salinarum donationes per Prædecessores factas revocare, & considerasse Salinas

uti

uti fodinas auri & argenti, quod fecisse diximus Hispaniarum Reges, testimonio Barbosæ, & quidem jure optimo, Carolum V. in suo Laudo etiam putasse eas conventiones licitas & justas, & coegisse Alphonsum Ducem Ferrariæ ad eas servandas.

§. 41. Fabrica Salis Comacli uni Pontifici reservata, uti Supremo Domino, & non aliter.

Contra hæc insurgit D. Regens, iterumque regerit id pactum initum *in recompensam reductionis canonis*, hinc arguens, Pontificem jure Principis tale jus non habuisse: sed ex solo pacto: verum huic argumento plene satisfeci in Conventu diei 25. Septembris. Nunc addo non licere subtilibus argumentis rem apertissimam in dubium vocare. Si enim Iulius II. Ducem palam privaverat Vicariatu Ferrariæ ex pluribus causis, & præsertim quod Sal Comacli legeret, & Regalia Supremi dominii Ecclesiæ invaderet, dum Comaclum ad Sedem Apostolicam spectabat: quod etiam probant Guicciardinus, Petrus Martyr Anglerius, & Iovius Scriptores celeberrimi, qui tunc vivebant. Si Alphonsus in Capitulis II. Hadriani petiit se integrari ad Vicariatum, quo privatus fuerat, & integrationem acceptavit, immo ut eam obtineret, pacisci debuit se amplius Comacli Sal non lecturum, declarare etiam solos Romanos Pontifices ibidem colligere posse & quidem libere & privative, jam dilucide apparet qua de causa id factum sit. Nihilominus asserta *correspectivitas* præter ea, quæ in sepe laudato Conventu ponderavimus, nequicquam relevat. Nam ipse D. Regens probat Ducem potuisse de jure ratione Investituræ Ducatus Ferrariæ, & sic Feudi dignitatis, Regalia prætendere, & Sal Comacli, etiamsi illud ad Vicariatum pertinuisset, fabricare: Pontifices dicebant ex generali consuetudine, ac Romanæ Sedis legibus hæc facere ad Ducem non pertinuisse. Alphonsus replicare poterat, si non Comacli, saltem in aliis locis, quæ ab Imperio recognoscebat, se potuisse sal legere, quod ob mercimonium Salis exteris & Lombardiæ locis vendendi, displicebat Pontificibus, quemadmodum ex historicis refert D. Regens. Ut itaque hæ quæstiones amputarentur, Hadrianus reductionem Census, quam Alexander VI. statuerat, & Iulius II. perperam factam in sua Bulla edixerat, probavit, ratamque habuit, & Alphonsus in recompensam hujus reductionis Sal Comacli se non lecturum promisit, neque illud fabricare in aliis locis, quæ possidebat: & sic *correspectivitas* respicit exceptiones, quas de jure poterat Alphonsus opponere, tamquam feudatarius Ecclesiæ Comacli, & non uti Feudatarius Imperii, negando Pontifici id jus Regale in Comaclensi agro. Patet id ex pœna addita, ac pactis; Quatenus enim Alphonsus Sal Comacli amplius legisset, pœna privationis ipso jure universi Vicariatus Ferrariæ, & aliorum

rum feudorum, quæ a Romana obtinebat Eccleſia, ſtatuta eſt. Hæc pœna non reſpondet reductioni canonis. Quis enim dicet Alphonſum ceſſiſse id jus Regale Pontifici, & ſponte allectum ob reductionem Canonis, ſe ſubjeciſse pœnæ graviſſimæ, & periculo perdendi Ducatum Ferrariæ, ac tot alia feuda Eccleſiæ; atque pœnæ, quæ addi non ſolet, niſi quando Inveſtituræ pacta violantur? Nemo ſane, & præſertim qui callet quæ fecerit & ſuſtinuerit Alphonſus, ne ſibi vetitas COMACLI Salinas everteret & fateretur id jus ad Romanos Præſules pertinere. Pacta id ipſum innuunt. Non enim Alphonſus id jus ceſſit Hadriano, neque dixit ſe illud concedere & relaxare Pontifici, uti ſcriptum eſt in ſuppoſiticiis Capitulis Leonis X. nuper exhibitis, & expreſſum in noſtris fuiſſet, ſi ceſſio ibidem facta eſſet. Sed res incipit ab inhibitione *nullo unquam tempore poſſint abſque Suæ Sanctitatis, & ſucceſſorum expreſſa licentia, & mandato*. Statim additur: *ſed ſolus Romanus Pontifex illud ibi fabricare ſi & quando ſibi placuerit libere poſſit*. Hæc verba fatalia ſunt: innuunt enim id factum jure dominii & regalium, non ceſſo proprio, uti verba ſonant. Alphonſus id jus privativum etiam excluſo Cæſare dare non poterat Pontificibus, ſolique Cæſares, quatenus COMACLUM ad Imperium ſpectaſſet, id facere potuiſſent, nam quando etiam ex conceſſione Imperiali Dux hæc ſuprema regalia habuiſſet, quod non conſtat, & durante jure ſuo ea cedere aliis potuiſſet, quod tamen falſum eſt in jure, cum Alphonſus ſe nullo unquam tempore pro ſe, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis Sal COMACLI legere poſſe ſtatuerit: quo caſu jura regalia Vaſſallus in perpetuum & durante feudo heredibus & ſucceſſoribus dato ſine facultate ſupremi Principis cedere, & alienare nequit, præſertim alteri Principi potenti & æque ſupremo. Adhuc tamen nemo permittit, nemo ſcribit, immo omnes docent, Vaſſallo & Feudatario inhibitum ſemper eſſe regalia jura cedere pacto addito, quod ſolus Ceſſionarius libere ea exercere valeat, & ſic ad excluſionem etiam ſupremi Domini, qui revocare poteſt ex cauſa regalium eorum conceſſionem, concurrere cum Vaſſallo in pluribus caſibus, feudatarium cogere ad Sal collectum ſibi vendendum; ad illum mittendum pro uſibus ſuis: adigere quoque eum, ne Sal ducatur ad hoſtes ſuos, & ſimilia facere, quæ Alphonſus non poterat ab Imperio avellere. Quare inania ſunt, quæ D. Regens cumulat, ut ſuadeat *correſpectivitatem*, atque hæc geſta fuiſſe jure privati, idque regale jus per Alphonſum ceſſum fuiſſe.

Pon-

§. 42.
Integratio ad Ducatum Ferrariæ facta Alphonso I. per Hadrianum VI. similis fuit privationi factæ per Julium II. & Leonem X.

Ponderare nec juvat, pactum pœnale jam expositum non enunciare privationem Comacli. Satis enim fuit expressio illa, quod si Alphonsus Sal legisset Comacli, ipso jure privaretur Ducatu Ferrariæ, aliisque feudis, quæ a Romana recognoscebat Ecclesia. Ducatus enim ille, qui idem est ac Vicariatus, in Ducatum erectus per Paulum II. uti semper declaraverant Pontifices prædecessores Hadriani, fassi erant Hercules Dux & Alphonsus filius, præter Ferrariam continebat alias Civitates, & sic Comaclum, quod ad districtum Ferrariæ pertinuisse jam superius diximus: quo quidem Comaclo Adriaque demptis, nulla alia aderat Civitas, quam potuisset Vicariatus includere, præsertim quando in ipso contractu Alphonsus I. recognoscebat Pontificem jura suprema regalia Comacli habere, & sic supremum dominium Ecclesiæ in Comaclum fatebatur. Nec mirum Hadrianum non integrasse Alphonsum nominato etiam Comaclo, sed Ferraria tantummodo expressa, Comaclo omisso: neque investivisse eundem Comaclo. Jam enim superius retulimus Alphonsum privatum in Bulla Iulii II. Vicariatu & Ducatu Ferrariæ, ejusque districtu, pertinentiis & omnibus Civitatibus, locis & Opidis sub eo contentis, & sic etiam Comaclo, quod eidem Vicariatui includebatur, quoque dempto, nulla erat Civitas, ad quam referri potuisset privatio. Ergo si Hadrianus integravit Alphonsum *ad Ducatum Ferrariæ contra privationes per Julium, & Leonem factas in amplissima forma*, eumque investivit *de Statu Ducatus Ferrariæ*, palam fit integrationem similem fuisse privationi, quæ Comaclum etiam includebat: & verba illa *de Statu Ducatus* esse indefinita, & continere omnes Civitates & loca sub Vicariatu comprehensa. Futile etiam est asserere pactum prædictum nihil evincere, quod Alphonsus nedum Comacli, sed etiam in aliis locis sui dominii, inter quæ erant Opida ad Imperium spectantia, Sal legere sibi inhibuerit: ac si hinc arguatur non ratione supremi dominii, sed voluntario pacto omnia peracta. Alphonsus enim non cavit *solos Romanos Pontifices* in omnibus locis sui dominii, & sic in Opidis Imperii, Sal libere & semper legere potuisse, sed tantum Comacli. Poterat Alphonsus sine Cæsarum consensu se privare facultate Sal fabricandi, & emolumento & fructibus feudi in dominiis suis, quæ ab Imperio recognoscebat, & ideo id statuit. At non poterat in iis feudis, uti probavimus, id jus privativum dare Pontificibus ad exclusionem etiam Cæsarum, & in perpetuum contra suos heredes & successores in Investitura vocatos. Ideo id jus statutum est tantum Comacli, quia illud ad Imperium non spectabat, sed ad Romanam Ecclesiam: quæ distinctio adeo fata-

lis

lis est, ut cetera minoris momenti, quæ adducuntur per D. Regentem, eliminet. Diximus itidem in Conventu Carolum V. sustulisse omnem assertam *correspectivitatem* pactorum Hadriani, dum in suo Laudo noluit Alphonsum ea pacta servare, & tamen auxit Canonem Ferrariæ ad ducatos septem mille, & sic ad majorem summam, quam fuerat ante reductionem. Addidimus præterea ea ætate quæstionem inter Iulium, Leonem, Hadrianum, & Alphonsum super Salinis COMACLI, & super supremo dominio, Ecclesiæ in ea Civitate, fuisse celeberrimam, notissimam mortalibus, & ipsi Carolo V. & tamen constat eum Imperatorem in Laudo non declarasse COMACLUM ad Imperium pertinere, sicuti edixerat respectu Mutinæ, Regii; & Cotignolæ: quin mandasse Alphonsum servare pacta Hadriani, quæ,uti probatum est, jus regale in COMACLUM Pontifici dabant. Hæc nimis torquent mentem D. Regentis, qui nititur, sed incassum, vim horum Laudo auferre. Omissis iis, quæ regerit ad *correspectivitatem*, hoc non obstante,probandam, quæ levissima sunt,& quibus jam satisfecimus, frustra contenditur, in eo Laudo Alphonsum absolutum etiam in quæstione dominii Ecclesiæ Romanæ in COMACLUM. Quippe in compromisso erant enunciatę lites inter Ecclesiam,& Alphonsum super omnibus, & quibuscunque Urbibus,& Opidis, quæ Pontifices sua & Dux aliena dicebant. Imperatorem hæc fecisse patet in Laudo: jussit Alphonsum servare pacta Hadriani,auxit Canonem, voluit per Pontificem Alphonso Investituram dari *Ducatus Ferrariæ cum pertinentiis universis juxta formam solitam & consuetam*.Dein subdit:*quantum autem ad restitutionem Civitatum Mutinæ, Regii, Castri Ruberiæ cum suis pertinentiis, necnon Castri Cotignolæ per Sanctissimum prætensam, & petitam dicimus prædictum Alphonsum absolvendum fore, prout absolvimus, similiter & eundem Sanctissimum ac etiam Alphonsum antedictum a reliquis hinc petitis absolventes*. Ergo liquet absolutionem Alphonsi restrictam ad Regium,Mutinam & Castrum Ruberiæ: & hæc Imperio adjudicata fuisse. Nam iis datis Alphonso & separatis a Romana Sede, declaratum est supremum dominium Imperii, addita præsertim absolutione Pontificis a reliquis per Alphonsum petitis: & quod is servaret Capitula Hadriani pro Salinis COMACLI, eique daretur Investitura Ducatus Ferrariæ cum omnibus suis pertinentiis in forma solita & consueta & cum toto districtu & Civitatibus in eo Vicariatu contentis.Hęc probant Cęsarem agnovisse tunc Imperium nullum jus in COMACLUM habere,alias sicuti ille adjudicavit Imperio ceteras Civitates, ita & COMACLUM adjudicasset, & tamen contrarium fecit.Cotignolam superius memoratam spectare

ctare ad supremum dominium S. Sedis omnia jura clamant. Nec obstat, id Laudum fuisse per Sedem Apostolicam impugnatum. Nam uti diximus in sæpe laudato Conventu, etiam ex actu nullo & impugnato, voluntas educitur. Laudum est verissimum & tolli e memoria hominum non potest, atque ex eo probatur tunc Carolum V. neque cogitasse COMACLUM ad Imperium pertinere.

§. 43.
Carolus V. & Alphonsus I. agnoverunt COMACLUM pro feudo Ecclesiastico & non Cæsareo.

Objiciunt Cæsarem investivisse Ducem Alphonsum de Civitate COMACLI ante & post dictum Laudum. His Investituris, aliisque distinctis Observationibus satisfaciam. Verum quatenus eæ veræ essent, satis est ponderare Laudum fuisse actum notissimum & solemnem, ac gestum visis, rimatisque omnibus, & in contradictorio judicio: & Cæsarem in eo judicem arbitrum, & ideo plus valere Laudum, quam Investituræ clam datæ, nunquam exhibitæ, & in quibus nemo historicorum eorum temporum scripsit COMACLUM contineri. Immo dicimus argumentum nostrum magis ex hoc incalescere, nam dum Carolus V. sciebat se investivisse Ducem de Regio, Mutina, Castro Ruberiæ, & COMACLO: & tamen Laudum vulgavit, in quo COMACLO omisso, alias Urbes ad Imperium pertinere edixit, absolvitque Pontificem ab aliis per Alphonsum petitis, & jus regale, ac privationem Salis legendi COMACLI S. Sedi adjudicavit, mandans servari Capitula Hadriani; nemo non videt id factum, quod Cæsar agnoverit COMACLUM ad Imperium, Investitura a se data non obstante, non spectare. Adducitur Leonardi a Portu epistola, in qua tradit Julium permisisse Alphonso Sal COMACLI legere pro usu suo tantum. Verum historici ejus ætatis per nos relati contrarium scribunt: & Bulla Julii II. contrarium evincit; Capitula quoque Hadriani: & sic arguere ex verbis unius scriptorculi contra veritatem, vanissimum est. Addunt Alphonsum I. opposuisse Julio II. Leoni X. atque Hadriano VI. Investituras prædictas Cæsarum. Sed hoc non subsistit, neque unquam probatum fuit: mussitasse enim Alphonsum, Guicciardinus dumtaxat scribit, unde cavendum ab hoc supposito, quod etsi verum esset, nil officeret. Frustra etiam enervare tentatur jus Pontificium in COMACLUM ex quadam epistola personæ privatæ. Cur potius non adducuntur epistolæ Petri Martyris Anglerii tunc coævi, dictæ clarissimorum Historicorum ac Bulla Julii, quæ manifestam faciunt veritatem? Retulimus in Conventu diei 25. Septembris ad probandum priscos Duces nusquam cogitasse COMACLUM ad Vicariatum Ferrariæ non pertinuisse, titulos, quibus sese inscripserunt, tacito illo COMACLI Domini, cum tamen ii exprimerent alios minoris momenti, & ageretur de rebus ad COMACLUM pertinentibus,

satis putantes in illis sese inscribere Ferrariæ Duces, licet medio seculi decimisexti, cum jam legitima proles deficeret nec spes esset prorogationis Investituræ Ferrariæ, COMACLI Domini titulum jactaverint. D. Regens ex Epitaphiis Alphonsi I. & Herculis I. regerit contrarium evinci. At fallitur cum Epitaphium Alphonsi I. longe post mortem ejusdem erectum sit per Herculem II. ejus filium, non sub finem seculi decimi quinti, ut per errorem asseritur, sed medio seculi decimi sexti. Illud autem Herculis I. cum eodem titulo desideratur. Cetera Epitaphia Herculis II. & Alphonsi II. sunt recentia & exsculpta postquam Pontifices declaraverant se Investituras non prorogaturos, ut patet ex D. Fontanino pag.206. & 217.

§. 44. Vicarii Ferrarienses nunquam se appellarunt COMACLI Dominos, quia id intelligebatur sub titulo Vicariatus Ferrariæ.

Subjicit, titulis expressis per priscos Duces additam clausulam *& cetera*, aptam ad includendum COMACLUM. Sed cur ii expresserunt Opidula, non autem COMACLUM etiam, & hanc Urbem cum suo Comitatu, non vero opidula sub clausula *& cetera* incluserunt? Cur etiam COMACLUM includi non debebat tot actis gestis per eosdem Duces cum titulis Ducatus Ferrariæ *& cetera*, relatis per eundem D. Fontaninum pag.206. necnon sub Investituris Vicariatus Ferrariæ cum omnibus pertinentiis, districtu, Civitatibus, & locis in eo contentis, ipsi nos doceant, qui talia produnt. Actus, quo Hercules II. rata habuit Capitula Pauli III. nequicquam prodest. Quandoquidem ille se nominavit etiam COMACLI Dominum & Ferrariæ, neque id ei vetitum erat. Poterat etiam se inscribere Adriani, Bondeni, & Milliari Dominum; neque hinc educebatur ea Opida sub Territorio vel districtu Ferrariæ, clarissime contenta, non esse inclusa: neque ullum resultabat præjudicium S. Sedi, quemadmodum superius abunde probavimus. Quare cogantur fateri necesse est, excepto Hercule II. qui in eo Instrumento se etiam COMACLI Dominum inscripsit, nempe in unico actu, ceteros Duces post Vicariatum in fœderibus, libellis, publicis actibus, in iis præsertim quos COMACLI gerebant, hunc titulum solo Ferrariæ Ducis expresso, semper omisisse. Frustulum, quod adferunt ex diplomate Friderici III. Borso Estensi est nobis suspectum, qui nunquam diploma integrum vidimus. Bona acquisita COMACLI per Duces & quidem semper pro Camera Ducali Ferrariæ, suadent ab iis agnitum COMACLUM, veluti ad Ducatum Ferrariæ pertinens: quæque adducuntur sunt argumenta levissima & voluntatis subtilissimæ interpretationes: factum tamen verissimum est & valde grave. Rudolphus II. Cæsar gratulatus fuit Clementi VIII. per Legatum Ferrariam missum, recuperationem totius Ducatus Ferrariæ, atque etiam COMACLI:


neque

neque subsistit Ducem Cæsarem Estensem produxisse COMACLI Investituras per tria secula: quippe D. Fontaninus pag. 132. & 133. historiam refert, quæ contrarium evincit, & in Conventu prædicto diei 25. Septembris jam satisfecimus iis, quæ repetuntur.

§. 45. Investitura COMACLI sub nomine Locharii II. est spuria. Corsica & Sardinia ad Sanctam Sedem pertinuerunt.

Sed redit D. Regens ad Investituram commenticiam Ottonis Estensis, eamque putat recipiendam, quod ejus mentionem faciant Pigna, Ferrus, Ughellus, & Rubeus. At sæpe diximus hos auctores, idest Rubeum & Ughellum falsos fuisse per Pignam, hujuscemodi commenti primum auctorem: ac D. Fontaninum pag. 392. Pignam egregie confutasse. At si extollit D. Regens Pignam & similes Estensium fastorum sarcinatores, cur fidem haberi negat ipsis Pignæ, Ferro, Sardo, Calcagnino, Faleto, & aliis Estensium familiaribus, & historicis, qui uno ore testati sunt COMACLUM fuisse de districtu Ferrariæ? Neque nos indigemus inspectione Instrumenti pro dijudicanda veritate aut falsitate hujuscemodi Investituræ Ottonis Estensis, quia inspectio autographi non tollit monstra errorum, qui comparent in textu diplomatis per D. Fontaninum edito. Quare prius respondeant objectionibus in ipsum diploma vulgatis, & postea agant de inspiciendo autographo. Superest respondendum Investituris COMACLI, quas Estenses jactant majoribus suis concessas, quibus distinctas Observationes opponimus. Jam dicant, nunquam Romanam Ecclesiam COMACLUM habuisse, & diploma Rudolphi I. effectu semper caruisse. Hactenus dicta videntur probare omnino contrarium. At vero si objicere desinant idem diploma continere Corsicam & Sardiniam, atque has Insulas neq; prius neque postea Sedem Apostolicam obtinuisse. Nos enim qui sæpenumero in Conventibus probavimus easdem insulas ante Rudolphi diploma Romanos Pontifices possedisse; nunc ostendemus etiam post illud ab iisdem possessas fuisse. Quod Sedes Apostolica eas Regiones contentas in donatione Caroli Magni, Ludovici Pii, & successorum; ante diploma possederit, patet ex epistola Leonis III. editionis Conringii pag. 36. in qua Leo Corsicæ Insulam sibi donatam per Carolum, & se illuc Comitem delegasse testatur. Gregorius VII. in epist. II. & IV. lib. V. mentionem faciens Corsicæ prodit eam Insulam *nulli mortalium, nullique potestati, nisi S. Romanæ Ecclesiæ ex debito vel juris proprietate pertinere*. Antonius Petrus Philippinus hist. Corsic. lib. 2. pag. 65. narrat ad ætatem usque Urbani II. Pontifices in eam Insulam Præsides misisse, eamque Pisanis in feudum dedisse. Ubertus Folietta hist. Januens. lib. 1. pag. 13. hæc habet: *Saracenis ex Corsica expulsis, ejusque Insulæ imperio Genuensi populo adjuncto, quod bello partum postea Romani Ponti-*

tifices ratum habuerunt. De Sardinia idem conſtat ex epiſt. 41. lib. 1. Gregorii VII. data ad Orzoccum Caralitanum judicem, ad quem ſcribit plures petiiſſe in feudum ejus Regni medietatem a Sede Apoſtolica, Normannos ſcilicet, Tuſcos & Longobardos. Poſt diploma Rudolphi I. paucis interjectis annis Regna *Corſicæ* & *Sardiniæ* Bonifacius VIII. dedit in feudum Jacobo II. Aragoniæ Regi, quod refert Jacobus Mainoldus de Titulis Philippi Regis Auſtrii fol.21. pag.2. Raynaldus ad annum 1297.§.2. ubi Inveſtituram exhibet, additque eum Regem & Alphonſum filium juramentum fidelitatis præſtitiſſe Benedicto XI. & Joanni XXII. cenſumque ſolviſſe, ut ſubdit ad annum 1304. §. 16. Prodit etiam Raynaldus ad annum 1360. §. 11. Januenſes pro Corſica juramentum fidelitatis dediſſe & cenſum Romanis Pontificibus ſolviſſe. Quare patet diploma Rudolphi veriſſimum, executioni mandatum, ipſoſque Principes & Reges ejus veritatem agnoviſſe. Ideoque ſatis ſuperque ex parte Sedis Apoſtolicæ probatum fuiſſe putamus, Comaclum ad ejus dominium ſupremum pertinuiſſe & hactenus pertinere.



ALIÆ

ALIÆ OBSERVATIONES

In Investituras Estensium, quæ dicuntur a Cæsaribus impetratæ circa COMACLUM.

SYNOPSIS

Diplomata Estensium, in quibus COMACLUM *exprimitur, partim sunt ficta, partim irrita, nulla, subreptitia & inania; partim vero sunt acta protectionum sine obligatione solvendi Census, juramenti fidelitatis & servitii præstandi.*

§. I.

Commenticia Investitura Ottoni Estensi concessa, minus recte iterum & tertium obtrusa.

NImis jactant qui jura Imperii tuentur, asfertas Investituras Estensibus datas. Inter has numerari non potest ea, quam semel atque iterum obtrudunt tanquam a Lothario I. & Ludovico II. concessam *Othoni* cuidam Estensi. Nam Domini Abbates Fontaninus & Zacagna evidentissimis argumentis hanc eandem paginam commenticiam esse probarunt: quorum argumentis nihil omnino respondetur; sed omnia dissimulantur, quasi omnibus jam satisfactum fuisset, cum re vera in hac re per Dominum Regentem ne verbum quidem prolatum fuerit. Nobis quidem opponit Pignam, Ughellum, Rubeum & Ferrum, hujus Investituræ testes fidissimos. Sed nos Pignam hujus paginæ auctorem fuisse putamus. Hic enim primus omnium ejus meminit, cum tamen alii ante ipsum & quidem multi, quos in Conventu diei 25. Septembris retulimus, fastos Estensium digesserint: neque tamen hujusmodi Investituram unquam nominaverint, ideo sane quia nondum innotuerat: quæ scilicet postmodum Pignæ ætate memorari cœpit. Rubeus de ea loquens, in Pignæ verba juravit. Sic etiam Ughellus ac recens Ferrus. Quare hi omnes unius Pignæ testimonio nitentes nihil prorsus probant, nisi veritas eorum, quæ Pigna scripsit, aliunde nobis appareat contra ea, quæ Domini Abbates Fontaninus & Zacagna eidem Investituræ opposuerunt. Siquidem Auctores isti non *congerie verborum*, ut perperam dicitur, sed dilucidissimis argumentis probarunt id diploma esse suppositicium: quæ argumenta frustra elidere conatur Dominus Regens solo verborum strepitu. Additur Pignæ Altogradus, qui in cons. 4. tom. 2. ubi ejus Investituræ mentionem fecit scribens pro Serenissimis Estensibus, & veluti Advocatus, quæ sibi tradita fuerant per Ministros Estensium, consarcinavit. An autem testimonium Advocati & quidem recentioris ad Pignam etiam se referentis, tanti valeat, ut

ut omnem umbram dubitationis eliminet, ipſi videant, qui hæc, quæ repugnant juris principiis,aliis ſuadere conantur. Quod vero a Defenſoribus Romanæ Eccleſiæ dictus fuerit, Marinus Eſtenſis filius Ottonis, Venetos COMACLUM oppugnantes adortus fuiſſe,hoc falſum eſt;cum nemo eorum,qui jura Eccleſiæ Romanæ in COMACLUM vulgarunt, aut qui Conventibus interfuerunt, non dicam dixerit, ſed ne cogitaverit quidem, ut diceret, Marinum illum Eſtenſi familiæ adſcribendum: atque omnium una ſemper fuit vox, a Marino tunc Comite COMACLI Baduarium fratrem Ducis Venetorum in itinere vulneratum fuiſſe, quod is Romam peteret, & Venetorum nomine COMACLUM a Romano Pontifice ſe obtenturum confideret. Ceterum cujusnam gentis Marinus extiterit, ſolus Pigna, qui commenticiam Ludovici II. conceſſionem obtruſit, ſcire potuit, tametſi vetuſtiſſimum Chronicon Venetorum, Dandulus, Sabellicus, Marcellus aliique Venetarum rerum Scriptores Marini familiam ignoraverint, & contraria omnino Pignæ narrationi retulerint. Pigna tradit COMACLUM ab Imperatore Ottoni Eſtenſi conceſſum, COMACLIQUE Comitem Ottonem fuiſſe. Laudati autem Hiſtorici tradunt, COMACLUM ad Sedem Apoſtolicam pertinuiſſe, Rempublicam Venetam fratrem Ducis ad Pontificem miſiſſe, ut COMACLUM ex ejus munificentia obtineret, atque COMACLI Comitatum non Ottonem, ſed Marinum tunc tenuiſſe. Hæc omnia præter adducta per Dominos Abbates Fontaninum & Zacagnam, quæ hic repetenda non ſunt, ſatis ſuperque probant Pignæ commentum. Quanti autem æſtimari debeat Pignæ in hac re teſtimonium,dicant Joannes Beſlius & Leibnitius apud Dominum Fontaninum pag. 136. & 137. qui tametſi Tranſalpini, eum mendacem & falſidicum appellare non dubitarunt, quemadmodum eum ejusdem culpæ inſimulaverat Laurentius, Pignorius Patavinus apud eundem Dominum Fontaninum pag.42. Quod vero parati ſint oſtendere inſtrumentum publicum hujusce rei, nos valde miramur. Potius ſperabamus audire eos promptos ad exhibendam Inveſtituram in forma ſolita expeditam per Cancellarium Imperialis Aulæ: ideoque autographum nongentorum annorum. At ſi ipſemet Dominus Regens fatetur tranſumptis extractis vel ſervatis in Archivis Eſtenſibus nullam fidem habendam; cur nunc proponit, inſtrumento publico, nempe tranſumpto hujus Inveſtituræ eſſe credendum, & per Romanam Eccleſiam in re graviſſima fidem præſtandam tranſumpto reperto in Archivis Eſtenſibus ſuſpectiſſimo, commenticio & cujus Hiſtorici ipſi Eſtenſes, uno Pigna excepto, nullam mentionem fecerunt, præſertim vero contra ſentien-

ientibus classicis Historicis & Chronicis vetustissimis superius relatis? Semel atque iterum diximus a die hujuscemodi suppositiciæ Investituræ ad diem, qua Estenses ætate Clementis V. & Joannis XXII. invaserunt COMACLUM, illudque paulo post dimiserunt, quatuor fere secula præterlapsa fuisse, quibus ea Urbs Ravennatibus vel Ferrariensibus aut Pontificibus subjecta fuit. Diximus etiam in Conventibus per Dominum Regentem plura diplomata Ottonum, Fridericorum, Henricorum aliorumque Cæsarum adducta fuisse, quibus COMACLUM ad Ravennatem Ecclesiam pertinere disertissimis verbis sanciebatur. Defensores vero Sanctæ Sedis literas Gregorii V. Gelasii II. Calixti II. Honorii III. atque plurium Summorum Pontificum produxisse, in quibus Romani Pontifices Comitatum COMACLENSEM eidem Ecclesiæ Ravennati adjudicarunt. Ex his arguebamus, aut Ministros Cæsareos putare ea diplomata Imperialia esse Investituras aut privilegia, quibus consueverunt Cæsares bona Ecclesiarum inferiorum sub sua protectione & custodia suscipere, ne milites ea devastarent aut oneribus premerent. Si primum affirmant: nemo ignorat hinc Ludovici II. paginam commenticiam probari, cum pateat, Cæsares COMACLUM Ravennati Ecclesiæ tribuisse, nulla habita Estensium mentione. Si alterum uti patet ex dictis diplomatibus, non alia de causa datis, quam ut bona sive a privatis, sive a Pontificibus Ecclesiæ Ravennati concessa protegerentur, dilucidum fit ex confessione ipsorummet Cæsarum seculo IX. X. XI. & XII. Comitatum COMACLENSEM jure legitimo pertinuisse ad eandem Ravennatem Ecclesiam, non vero ad Estenses. Hoc idem constat ex Bullis Summorum Pontificum, qui eundem Comitatum Ravennatibus Præsulibus donarunt. Hinc quocunque se vertant Cæsarei Ministri, fateri coguntur vulgatum Ludovici II. diploma spurium esse, neque ullum unquam tribuisse titulum Estensibus, qui post donationes Pontificum & diplomata Imperialia edicentia COMACLUM ad Ravennatem Ecclesiam pertinuisse & pertinere, & post quatuor jam elapsa secula, quibus Romana Ecclesia COMACLUM possederat, nequaquam poterant ætate, qua COMACLUM primum invaserunt sub Clemente V. eundem titulum suppositicium, vel jam infectum reassumere: quod tamen nunc mordicus tuentur.

§. 2.

Diplomata a Carolo IV. Estensibus concessa, non sunt Investituræ, sed protectionis acta, quæ nullius momenti esse probantur.

Referunt Ministri Cæsarei diplomata Caroli IV. quibus satisfecimus in Conventu diei 25. Septembris, ubi eorum exemplaria minime inspeximus. Hæc vero cum nuper tandem nobis lustrare licuerit, eadem nil prorsus officere nobis putamus. Quatenus enim vera essent, cum nihilominus subsistant rationes, qui-

quibus D. Abbas Fontaninus ostendit ea pro futilibus & inanibus habenda esse; longe plura sunt, quæ evincunt eadem diplomata nullius esse roboris & momenti. In primo, quod anno 1354. asseritur datum Aldrovandino, Nicolao, Fulconi, Hugoni, & Alberto filiis Opizonis Estensis, conceduntur *Rhodigium*, *Arquada*, *Adria*, & *Adrianum* cum toto ejus districtu & Comitatu: *Argenta* cum toto ejus districtu & cum insolita expressione in ceteris bonis omissa, quod ea Terra *ad Imperium* pertineat: *Castrum S. Alberti*, *Riperia Fili* cum Portu & passu *Primarii*, atque Comaclum. *Rhodigium Adria*, & *Adrianum* conceduntur iisdem & heredibus & Successoribus legitimis. Bona, quæ erant in Adriensi districtu, pro heredibus tam masculis, quam fœminis. Comaclum, *Argenta*, *Terra S. Alberti*, cum Territorio *Fili* & *Portu Primarii* pro heredibus & Successoribus simpliciter, cum clausula *ad habendum*; nullo statuto Censu annuo, & solum reservata fidelitate, atque homagio, nullaque facta expressione, quod Comaclum, *Argenta*, *Castrum S. Alberti* cum aliis jam dictis Territoriis prædecessores Aldrovandini & fratrum tenuissent in feudum ab Imperio, quemadmodum expressum legitur in concessione ceterorum Castrorum. Contra Opizo prædictorum fratrum parens, Franciscus, & Raynaldus anno 1332. quo Vicariatum Ferrariæ a Ioanne XXII. Impetrarant, solemniter fassi fuerant & recognoverant Terram Argentæ cum integro ejus Territorio ad Ecclesiam Ravennatem pertinere, seseque eam per vim occupasse, & in Rebellione tenuisse. Restituerant itidem claves ejusdem opidi Legato Apostolico, & jurejurando promiserant fructus ejusdem male perceptos se restituturos; quemadmodum narravimus in Conventu diei 2. Octobris. Argentam anno 1343. Opizo & Nicolaus fratres Estenses se restituturos promiserant Ecclesiæ Ravennati: & dein anno 1345. Nicolao Archiepiscopo ejusdem Ecclesiæ restituerant pacto addito, quod Archiepiscopus eandem Terram ejusque Territorium teneretur locare ad sexennium prædictis fratribus sub annua pensione bis mille florenorum auri de Florentia cum pacto reversionis ad Ecclesiam post sexennium completum, & quod bona ibidem confiscata & confiscanda, in locatione inclusa non essent, sed ad Archiepiscopos pertinerent. Hanc locationem Opizoni prorogasse Fortunerium Archiepiscopum anno 1348. patet ex Instrumento & Bulla Clementis VI. locationis pacta probantis. Constat insuper anno 1421. Thomam Archiepiscopum Ravennatem Nicolao Estensi ejusque filiis eam Terram in feudum & Vicariatum concessisse sub pensione annua

nua ſcutorum ducentorum auri. Apparet etiam anno 1457. Herculem I. Eſtenſem Ferrariæ Vicarium & ejus nomine Duciſsam ejus uxorem Archiepiſcopo Ravennati pro iis canonibus non ſolutis in ſumma ducatorum 578. dediſse in ſolutum quædam bona: & iterum eam Terram & Caſtrum Lugi, Villam S. Potiti, & Abbatiam Pompoſianam in Vicariatum recepiſse, addito canone unius Rocheti præter dictam ſummam Archiepiſcopis perſolvendo. Demum Philiarius Archiepiſcopus Ravennas anno 1515. Alphonſo I. Ferrariæ Duci, ejusque filiis legitimis eandem Terram cum dictis Villis & Caſtris ſuperius enunciatis in feudum conceſsit: quas etiam conceſsiones refert Rubeus in indice Scripturarum poſt Hiſtoriam Ravennatem pag. 818. Adrianum Eſtenſes in feudum recognoviſse anno 1195. ab Eccleſia Adrienſi teſtis eſt Priſcianus Eſtenſium Evangeliſta. Arquadam idem Priſcianus ſtatuit in Comitatu Ferrarienſi uti ex verbis ejusdem apud D. Fontaninum pag. 183. ſic: *in Comitatu Ferrarienſi Manezo, Baniolo, Sanctum Martinum, Villam Comeola, Arquadam*. Quare ſi hæc erat in Comitatu Ferrariæ: & ſi in Vicariatum conceſſa fuerat majoribus prædictorum fratrum Eſtenſium *Ferraria cum integro Comitatu*; atque ipſi Eſtenſes faſſi fuerant ac promiſerant nullum alium ſe habitaturos Dominum Ferrariæ ejuſque Comitatus præter Pontificem, jam patet ex confeſſione Eſtenſium *Arquadam* ad Ferrariam pertinuiſſe, non vero ad Imperium. Portus Primarii, teſte eodem Priſciano, erat de diſtrictu Ferrariæ: en verba: *quod Portus tam Primarii, Volanæ, quam Gauri, ſint in diſtrictu Ferrariæ, apparet pluſquam clare*. Quamobrem is Portus includebatur ſub Inveſtitura Vicariatus Ferrariæ data per Joannem XXII. anno 1332. Patri fratrum Eſtenſium qui hanc poſtea a Carolo IV. conceſſionem impetraſſe dicuntur: & dein prorogata iiſdem fratribus, dum Vicariatus nedum Ferrariam, ſed ejus *Comitatum*, univerſumque *diſtrictum* comprehenderet. Caſtrum *Sancti Alberti* & *Riperia Fili* fuerunt ſemper de Territorio Ravennate & ſub jurisdictione Ravennatis Eccleſiæ. Hæc opida Herculem II. in feudum accepiſſe a dicta Eccleſia ſub annuo Cenſu palam fit ex Inſtrumento conceſſionis. Urbes Comaclum & *Adria* cum ſuis Comitatibus, Territoriis atque diſtrictibus, ideoque Policino & Rhodigio per ſolemne diploma Rudolphi I. paulo ante prætenſam Inveſtituram Caroli IV. declaratæ fuerant juris Eccleſiæ Romanæ, ad quam pleno jure *jurisdictionis & Principatus*, atque *inſolidum pertinebant*, ſic declarante, ad perennem rei memoriam fatente, & bona fide recognoſcente Rudolpho I.

§. 3.

Pro Comaclo aliisque feudis semper Estenses censum solverunt Ecclesiæ, non autem Imperio: ideoque diplomata Cæsarea ubi nominantur, non sunt Investituræ: vel sunt clandestina, & inania.

Ex his manifestum est, quemcumque facile cognoscere quanti valeat hæc Investitura, in qua nullus Census statutus est pro tot Urbibus, Castris, bonis & Territoriis. Cui includuntur Urbes, opida & bona per ipsos Cæsares pro alienis habita: per Pontifices Ecclesiæ Ravennati donata & in feudum concessa: vel ad districtum & Territorium Ravennæ aut Ferrariæ spectantia: quæ præterea ipsimet Estenses tam ante, quam post jactantum diploma Caroli IV. ab Ecclesia Ravennati sub annua pensione ad tempus conduxerant, atque in feudum statuto canone annuo acceperant: quæ tandem Rudolphus I. Imperator & Electores Imperii ad Romanam Sedem pertinere pleno jure edixerant, atque sub Vicariatu Ferrariæ includebantur, uti sæpe dictum fuit. Diploma illud Carolinum nemo jure dixerit Investituram, sed rectius universalem depopulationem, qua Ravennas Ecclesia, Ferraria, Ravenna, Pontifices, supremi earundem Urbium Domini, & Camera Apostolica tot Urbibus, tot opidis, Villis, bonis, juribus & Territoriis unico verbo atque pagina excidissent, ut omnia in Serenissimorum Estensium manus laberentur, licet omnia præfata opida & bona ab Ecclesia Ravennate & a Pontificibus iidem in feudum tenerent atque etiam post Investituram Caroli IV. non cessarent eas Urbes & bona in feudum recognoscere ab illis, & quidem canone & censu annuo soluto: quem quidem canonem & censum nunquam Cæsaribus solverunt aut se soluturos promiserunt. Præterea diploma Caroli IV. clandestinum omnino fuit, ideoque spernendum. Nemo enim Scriptorum Estensium ejus meminit ante ætatem Alphonsi II. quo tempore ob proximum metum devolutionis universi Ducatus Ferrariensis, hujusmodi negocium fœdatum est. Quid itaque juvat verbis extollere solemnitatem diplomatum Imperialium, si revera hujus & aliorum, quæ nunc in scenam prodierunt, nemo historicus, nemo assentator Estensis nobilissimæ gentis nomen prius aut famam audivit. Dicitur res palam gesta, quam nullus eorum temporum Scriptor memoriæ prodidit: quam Archiepiscopi Ravennates, Pontifices oculatissimi & Cives vicinarum Urbium; quinimo Ferrarienses ipsi ignorarunt: quamque ipsimet etiam Estenses se ignorare finxerunt, dum plura opida in jactatis Investituris Caroli IV. atque in aliis inclusa, postea in feudum ab aliis Dominis recognoverunt: pro iis annuos Canones solverunt: palam in Instrumentis solemnibus fassi sunt ad alios pertinere; & censuris atque diris percussi, nunquam, ausi sunt eas Investituras producere, aut nominare? Si Archiepiscopi Ravennates scivissent, Estenses Argentam in feudum acce-

accepisse a Cæsaribus, si Pontificibus hæc diplomata includentia partem Territorii ac Comitatus Ferrariensis & Ravennatis, nec non *Adriam* & COMACLUM unquam innotuissent, utique qui ob minora delicta Estenses iisdem feudis privaverant, ob hujusmodi majorem excessum atque usurpationem eos punivissent, neque beneficiis atque Vicariatu Ferrariæ cumulassent: neque passi fuissent Argentam in feudum a Ravennate Ecclesia eos recognoscere, adeoque eosdem se confovere in spolio & in causa dominium Ecclesiæ negandi.

§. 4. Ostenditur, diplomata a Carolo IV. Estensibus data non esse Investituras, sed protectiones.

Diximus etiam bina exhibita exemplaria Investiturarum Caroli IV. Alterum continet quæ retulimus. Alterum datum legitur anno 1361. eadem Castra, easdem Urbes & bona continens, & quidem nulla prorsus habita mentione prioris illius anni 1354. & ac si ea quæ ordine temporis secunda est, reapse habenda esset pro prima atque unica: quæ res proculdubio suspectissimam reddit utramque paginam. Occurrit D. Regens, id contigisse, conjiciens, quod Aldrovandinus unus ex investitis anno 1354. objisset, & Opizo ejus filius nova Investitura indigeret. Non tamen recte, cum prior Investitura data fuisset Aldrovandino, aliisque fratribus pro se & heredibus tam masculis, quam feminis, vel pro se, heredibus ac successoribus. Quare Opizo Aldrovandini filius nominatim inclusus in pagina Caroli IV. anni 1354. non indigebat secunda & nova Investitura, quæ saltem dari debuisset illi soli, & non ceteris etiam fratribus, & respective Opizonis Patruis in prima nominatis. Et quidem dari debuisset habita mentione prioris, & tamen hęc quę secunda est, verius prima legenti apparebit. In utriusq; diplomatis proœmio hæc verba leguntur, declarantia quid Carolus IV. ibidem agere voluerit: *Ex certa nostra scientia illos & eorum quemlibet cum omnibus bonis suis mobilibus & se moventibus in nostram, & Sacri Imperii tuitionem, & defensionem recepimus & præsentibus recipimus singularem, dantes & concedentes ipsis, & successoribus eorum legitimis Rhodigium &c.* Ergo hæ paginæ non quidem continent Investituras, sed *protectionem* & confirmationem bonorum, quibus iidem fratres potiebantur: & latæ sunt ea una de causa in proœmio expressa: quæ causa universam dispositionem ob oculos ponit.

§. 5. Amplius probatur diplomata Caroli IV. non esse Investituras.

Ubinam vero Investituræ feudalis forma & consuetudo in iis paginis apparet? Non investiuntur fratres per *anulum*: fidelitatis *juramentum* desideratur, quamvis fidelitas generatim reservetur, nullusque *Census*, etiam minimus ibidem statuitur: & quod magis est, ibi nusquam exprimitur eas Urbes, Castra & Territoria ad Romanum Imperium pertinere: id enim de una

 Ar-

Argenta affirmatur : quam tamen superius probavimus ad illud minime pertinuisse. Carolus IV. Argentam dicit ad Imperium pertinere: COMACLUM, *Adriam*, *Castrum S. Alberti*, *Riperiam Fili*, aliaque in suis paginis contenta confirmat Estensibus nulla facta expressione, quod ad Imperium spectarent. Ergo patet ex ipso diplomate, Carolum IV. non investivisse, neque in feudum novum dedisse ea bona : quæ is neque Imperii juris fuisse asseruit, quin talia non fuisse fassus est, dum Argentam, quam putavit ad Imperium pertinere falsa relatione deceptus, sub hac tantum conditione & qualitate se concedere declarat, & protestatus est in prooemio se omnia bona Estensium per eas paginas sub Imperiali *protectione* suscipere : quæ utique si Imperialis juris fuissent & in feudum concessa, hac *protectione* speciali non indiguissent. Diximus quoque Carolum IV. tam ante, quam post paginas laudatas confirmasse Romanæ Ecclesiæ jurerando diplomata Cæsarum, atque Rudolphi I. quibus, uti jam probatum est, COMACLUM & *Adria* ad Pontifices pleno jure spectare declaratum fuerat. Quare per hæc juramenta & per has confirmationes solemnes, quibus revocaverat etiam Urbano V. instante, Investituras & alia gesta in contrarium per Cæsares, patet elisam prorsus vim omnem diplomatum Estensibus datorum : ideoque eos Argentam, aliaque loca in iis diplomatibus expressa, in feudum accepisse a Camera Apostolica & ab Ecclesia Ravennate. Adactus D. Regens hoc argumento plura inculcat, quæ nequaquam stare possunt. Ait has Caroli IV. juratas confirmationes & declarationes, continere descriptionem Urbium, locorum & situum, hinc conjiciens, quod quemadmodum Cæsar descripsit sigillatim omnes Urbes, loca, situs & Regiones donatas Ecclesiæ necnon Ferrariam, COMACLO & Adria omissis; ita satis expresserit eas Urbes ad Romanam Ecclesiam non pertinuisse & de eis eundem disposuisse ac potuisse disponere in gratiam Estensium. Verum nunquam Carolus IV. Urbes, & opida Romanæ Ecclesiæ descripsit. Is enim anno 1346. in suo diplomate citato per D.Fontaninum pag.21. per D.Zacagnam pag.61. & integre editum per Raynaldum ad annum 1346. confirmavit quæ Pater & Rudolphus, aliique Cæsares donaverant Apostolicæ Sedi, expressis tantum Roma, Marchionatu Anconitano, Ferraria, Regno Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ; designatis postea in genere omnibus aliis Civitatibus, Opidis, Castris, Terris, Territoriis ad eandem Ecclesiam spectantibus. Deinde anno 1355. in alio diplomate edito pariter per Raynaldum revocavit omnes fidelitates, homagia, infeudationes & concessiones ab Impe-

Imperatoribus factas de Urbibus & locis comprehensis in dictis donationibus, nulla Urbe, nullaque Regione designata. Demum anno 1368. in postremo, quod referunt prædicti, & præ ceteris integrum Raynaldus ad dictum annum, declaravit actus quoscunque factos per Cæsares & Principes, absentibus Romanis Pontificibus ab Urbe, super Civitatibus, & Regionibus donatis Pontificibus, nullos esse, irritos & inanes. In hoc diplomate enunciat tantummodo Provincias & Regiones, nulla Vrbe designata, præter Romam ac Ferrariam majores Vrbes: *necnon Romam & Ferrariam cum omnibus etiam Civitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus Juribus & Jurisdictionibus earumdem, & Terras in privilegiis nominatas, & prout singulariter in eis describuntur, declaramus & recognoscimus ad Romanam Ecclesiam, jusque & proprietatem ac possessionem ipsius Ecclesiæ plenissimo jure spectare & pertinere.* Quare patet, Cæsarem non designasse Urbes & opida, sed Provincias, præter solam Romam atque Ferrariam: & dein omnes Urbes & loca in diplomatibus Cæsarum superiorum descriptas, inclusisse, & sic Urbes Comaclum & Adriam, in diplomate Rudolphi per Henricum Patrem suum confirmato, sigillatim expressas.

§. 6.

Comaclum generatim expressum in diplomatibus a Carolo IV. Sanctæ Sedi concessis. Sigismundus confirmat diplomata Rudolphi.

Hinc educitur, Carolum IV. in hoc diplomate inclusisse Comaclum & Adriam, per relationem specificam habitam ad Bullas superiorum Cæsarum Rudolphi I. & Henrici VII. ac declarasse eas Urbes cum aliis designatis plenissimo jure tam proprietatis, quam possessionis ad Romanam Sedem pertinere, abrogatis rescissisque contrariis actibus gestis per eosdem Cęsares, qui de eis Urbibus quomodolibet disposuissent. Hoc nil clarius dari potest. Carolus in his paginis non designavit Ravennam, non Æmiliam, Bononiam, Faventiam Forlivum, Ariminum, ceterasque Exarchatus & Pentapoleos Urbes. Ergo has credidit ad Romanam Sedem non pertinere? Si argumentum D. Regentis subsisteret, has quoque Urbes Imperii juris fuisse utique dicendum esset: & tamen nemo id dixerit: nam designavit Provincias & Urbes in superiorum Cæsarum privilegiis descriptas, & sic omnes prædictas necnon & Comaclum, Adriamque, quæ in dictis privilegiis descriptæ quoque legebantur. Sigismundus Caroli post Wenceslaum & Rupertum successor generatim confirmavit Apostolicæ Sedi omnes Urbes, Regiones & Territoria in diplomate Rudolphi I. descripta, promisitque earum Urbium nullam se occupaturum, & occupatas dimissurum, confessione emissa, qua declaravit omnes eas Urbes in Bulla Rudolphi I. designatas ad Romanam Ecclesiam plenissimo jure pertinere, uti ex verbis, quæ

regerit D. Zacagna pag. 64. Nec est cur dicatur, in Concilio Constantiensi non fuisse expressum COMACLUM: nam neque enunciatæ fuerunt aliæ Urbes & Opida. Et quamvis ibidem sancitum fuerit, præsente Sigismundo Cæsare, Pontificibus restituendas omnes Urbes iisdem ablatas a tempore Gregorii XI. nescimus quid ex hoc educatur. Namque id factum est, ut Opida ablata Sedi Apostolicæ & quæ erant in donationibus Cæsarum descripta aut inclusa, juxta juramentum ab iisdem præstitum, restituerentur. Cum itaque expressum in diplomatibus Cæsarum fuisset COMACLUM; atque istud restituendum edixissent Patres Concilii, si ablatum fuisset: quod tamen nusquam ea ætate ablatum fuisse apparet; immo per Carolum & successores confirmatum Ecclesiæ Romanæ, rescissis homagiis, Investituris, & actibus, ex quibus constaret Cæsares eas Urbes & Opida aliis concessisse. Diximus insuper in eodem Conventu per Caroli IV. paginas non potuisse in feudum dari res alienas, ad Imperium non spectantes: quæque jam per superiores Cæsares, Rudolphum I. præsertim donatæ fuerant Ecclesiæ Romanæ, quemadmodum COMACLUM, & Adria.

§ 7.

Ecclesia Romana nunquam ditiones suas habuit in feudum, ideoque per posteriora diplomata eidem auferri non possunt.

Insurgit D. Regens, & contendit probare, quod is, qui Urbem posterius habuit in feudum, praferatur primo, si ultimus possessionem acceperit. At regulæ ac Doctores, quos pro se adducit, loquuntur de duobus feudatariis, quorum posterior in titulo, prior sit in possessione: sed nos de hoc non disputamus, cum hæc regula in Ecclesiis fallat. Nos versamur in casu longe diverso. Quippe Sedes Apostolica nusquam habuit Regiones contentas in diplomatibus Cæsarum nec Urbes in iis descriptas in feudum; sed eas obtinuit ex libera donatione seu restitutione Imperatorum, quam a Carolo Magno ad ipsum Carolum IV. omnes confirmasse narravimus. Cumque in ea exprimatur COMACLUM; regula clarissima, quam Tribunalia Imperialia firmarunt, ea est, quod prior donatarius, etiam possessione non habita, præfertur posteriori feudatario, qui eam accepit. Gaillus doctor practicus Germanus obs. 55. lib. 2. optime distinguens inter casum & casum, hanc verissimam opinionem affirmat & Grævetius in adnot. ad eundem num. 2. addit, *eam in Augustissimo Camerali judicio esse receptam, neque amplius de hoc dubitandum esse*. Hinc paginæ Caroli IV. nil quoad COMACLUM & Adriam Romanæ Ecclesiæ nocere potuerunt: etsi sunt Investituræ, sunt de re aliena jampridem donata, & jam in dominium Romanæ Sedis ipso jure translata. Non assentitur D. Regens Caroli IV. paginas obtentas fuisse per importunitatem, malitiam, malam fidem & falsitatem. At qui nostra

noſtra legit, continuo animadvertit illud nos affirmaſſe, nempe id factum a Cæſare, forſan immemore nominum earum Urbium, quæ in diplomate Rudolphi expreſſæ fuerant. Ceterum malitiæ, fraudis, & falſitatis ibidem mentio habita eſt ad rationem concluſionis per Gaillum traditæ probandam: ejusque verba referemus, quæ hæc ſunt: *Si Princeps donet alicui benemerito Caſtrum, poſtea vero idem alteri concedat, quod ſecunda conceſſio erit ipſo jure nulla, quia præſumitur circumventus importunitate impetrantis: vel priorem conceſſionem oblivioni tradidiſſe, adeout contrarii probatio non admittatur.* Hæc Gaillus: quæ ſi in genere probant nullitatem ex capite circumventionis & oblivionis, quid dicendum in caſu noſtro, in quo Carolus IV. ipſam donationem & diploma Rudolphi pro Eccleſia ante præfatas paginas, & poſtea bis confirmaverat & Urbes ac Opida deſcripta in eo diplomate, & aliis, quæ præceſſerant, declaraverat ad Sedem Apoſtolicam pertinere *pleno jure proprietatis, & poſſeſſionis*; iterumque donaverat. Inter eas Urbes deſcriptum erat COMACLUM & Adria, & agebatur de re graviſſima ac de donatione facta Matri benemerenti, ideſt Eccleſiæ Romanæ per Cæſares prædeceſſores ſuos, atque Rudolphum, Henricumque Patrem & quidem facta ante annos quinquaginta, & triginta reſpective, non vero ante multa ſecula, uti minus recte aſſeritur: & confirmata ab ipſomet Carolo IV. tam ante, quam poſt Eſtenſium Tabulas. Hinc nemo non videt Carolum IV. ea diplomata Eſtenſibus dediſſe vel circumventum, vel oblitum in diplomatibus ſuis, Patris & Rudolphi I. Urbes COMACLI & Adriæ fuiſſe deſcriptas; alias poſt eas Inveſtituras non confirmaſſet Eccleſiæ omnes Urbes & loca in privilegiis ſuperiorum Cæſarum deſcripta: inter quæ erant Adria & COMACLUM; ſed eas Urbes excepiſſet, prout indigebat excipere nominatim, ſi eas includere nolebat ſuis diplomatibus, & præſertim in illo, in quo is revocavit homagia, Inveſtituras & actus, quibus Cæſares diſpoſuerant de iisdem Urbibus & Opidis deſcriptis in privilegiis per Cæſares Eccleſiæ conceſſis.

§. 8. *Altogradi auctoritas pro Inveſtituris Eſtenſium refutatur.*

Opponit D. Regens Altogradum conſ. 4. num. 42. & ſeqq. tom. 2. Fruſtra tamen, is enim tanquam Advocatus ſcripſit pro Eſtenſibus: & ſic ejus auctoritas pro nihilo reputanda. Rationes autem inſulſiſſimæ ſunt: negat enim regulam, quam Gaillus & Grævetius admiſſam in Tribunalibus Cæſarum probant. Refert Inveſtituram Ludovici II. Ottoni factam, quam ſuppoſititiam eſſe ſuperius oſtendimus. Ait donationes Eccleſiæ factas, quoad COMACLUM effectu caruiſſe, & nusquam Romanam Sedem CO-

MACLUM

MACLUM poſſediſſe.Hæc omnia tamen falſa ſunt,& in Conventibus rejecta, cum conſtet poſt antiquas donationes Cæſarum, Pontifices de COMACLO, uti ſuo, pluries diſpoſuiſſe. Sed quatenus etiam id verum fuiſſet, nihil obſtaret. Nam Rudolphus, Henricus & ipſe Carolus donationes antiquas confirmaverant & eas Urbes iterum atque iterum donaverant & recognoverant: ac faſſi fuerant ætate illa COMACLUM & Adriam ad Sedem Apoſtolicam *pleno jure*, *in ſolidum* & *jure proprietatis, ac poſſeſſionis* pertinere. Quare hæ recentes paginæ, hæ donationes, & confirmationes juratæ,non poterant eſſe præſcriptæ, non abolitæ temporis præſcriptione, neque carentes effectu, additis præſertim juratis promiſſionibus,occupatas Urbes dimittendi & curandi omnino ut eæ reſtituerentur, necnon revocatis Inveſtituris & occupationibus per Cæſares datis aut factis. Hinc fit tempore Caroli IV. quod metimur, hæc argumenta Altogradi, repetita per D. Regentem, erronea eſſe & veritati repugnare. Præterea ut etiam inter duos feudatarios poſterior poſſeſſionem obtinens primo præferatur, probanda eſt concludenter poſterioris poſſeſſio independens omnino a primo, & priorem nunquam ante ſecundam conceſſionem alteri factam,poſſeſſionem habuiſſe. In caſu noſtro nuſquam probatur Sedem Apoſtolicam ante Carolum IV. poſſeſſionem COMACLI non accepiſſe.Immo nos oſtendimus ante Rudolphum I. & ipſa ætate Rudolphi Pontifices COMACLUM habuiſſe, illud donaſſe, ſuumque nuncupaſſe. Hinc patet donationes Cæſarum longe ante Rudolphum I. & Carolum IV. COMACLI effectum habuiſſe, adeoque nos verſari extra caſum limitationis,nullo habito reſpectu ad ſpolia & uſurpationes, quæ dein eveniſſent: nemo enim probat priorem conceſſionarium, qui poſſeſſionem ſemel obtinuit poſtponi ſecundo, ſi ſecunda conceſſio facta ſit tempore, quo primus ſua poſſeſſione injuſte ſpoliatus fuerat per Tyrannos aut refractarios; potiſſimum vero ſi (ut in caſu noſtro) prior conceſſionarius tempore ſecundæ conceſſionis ſervaverat jura ſua præviis iteratis donationibus & confirmationibus Cæſarum & ſolemnibus diplomatibus, in quibus Urbs, qua is ſpoliatus fuerat, declaratur ad primum Conceſſionarium pleno jure, in ſolidum, jure principatus & ditionis, & quoad proprietatem & poſſeſſionem pertinere. Si inquam hoc caſu, qui noſter eſt, admiſſo etiam ſpolio & uſurpatione COMACLI, quæ tamen tunc non probatur, reperietur Doctor, qui audeat ſcribere contra juramenta, donationes iteratas & confirmationes atque confeſſiones ſolemnes Cæſarum, immo ipſius Cæſaris concedentis ſecundo, antea & poſtea emiſſas, conceſſionarium ſecundum præferri, & Inve-

Investituram esse validam, dicam hunc, quicunque is sit, non judicem esse, sed Advocatum, quippe ratio & justitia contrarium evincunt. Possessio vero Estensium nusquam educitur independens a Sede Apostolica, cui primum COMACLUM donatum fuit: nam ex repetitis in omnibus Conventibus, patet COMACLUM inclusum Vicariatui Ferrariæ Estensibus concesso: neque constat Imperium pro COMACLO censum ullum accepisse, aut servitia, vel in illud post diploma Rudolphi I. ullam jurisdictionem exercuisse, aut Estenses pro ea Civitate juramentum fidelitatis præstitisse, quin eos neque mulctatos per Pontifices Imperiale dominium adduxisse. Hinc possessio Imperii adhæret paginis, verbis, ac vocibus, atque Investituris de re aliena factis: & quidem de rebus, quas ipsi Estenses dein ab aliis recognoscere, & pro iis aliis censum solvere palam & per instrumenta publica non recusarunt. Neque subsistit, Alphonsum per Julium II. adactum, ne sal COMACLI legeret, has Investituras objecisse. Nemo enim id scribit: neque in Conciliabulo Turonensi id affirmatur. Nam tunc neque COMACLUM ad Imperium spectasse, neque Investituras Alphonsum produxisse quisquam memorat. Unus Guicciardinus narrat eum inter amicos mussitasse, COMACLUM ad Sedem Romanam non pertinere: quæ mussitatio etiam in Bulla Julii II. expressa legitur. At cum Julius palam in sua Bulla eam Urbem ad Romanam Ecclesiam spectare edixisset, amplius audita non fuit vox Alphonsi id controvertentis. Immo in libellis, quos scripsit in Julium II. & Leonem X. nusquam ausus fuit controversiam de Dominio movere, uti per nos in elapsis Conventibus dictum est.

§. 9. Rudolphus I. fassus fuit COMACLUM Ecclesiæ esse.

Sed adhuc objiciunt, Rudolphum I. putasse COMACLUM & Adriam ad Sedem Apostolicam spectare, non autem dispofuisse, ut pertineret. Verum satis est legere Bullam auream ejusdem Rudolphi I. ut id objectum corruat. Rudolphus *ad perpetuam rei memoriam* declaravit, fassus est & recognovit Civitates in suo diplomate descriptas, inter quas sunt COMACLUM & Adria, pleno jure, insolidum, jure Principatus & ditionis ad Romanam Ecclesiam pertinere virtute donationum per Ludovicum Pium & successores Cæsares factarum, & sic disposuit & quidem solemniter per viam agnitionis veritatis & bonæ fidei, quæ est verissima & melior dispositio, quæ fieri valeat ab homine, præsertim a Rege & Cæsare, cujus promissio aut concessio si perennis esse debet, ut bona fides eluceat in Principe; quanto magis confessio & veritatis agnitio constans esse debeat, nemo est qui non intelligat. Addunt etiam Rudolphum I. investivisse Estenses de Adria. At

hæc

hæc Investitura sæpe verbis indicata, nusquam exhibita fuit. Si ea vera esset, utique Carolus IV. in binis paginis Estensibus datis, in quibus Adria describitur, ejus meminisset, aut ad eam relationem habuisset: & tamen concessio Caroli IV. facta legitur tanquam prima & unica, & cum clausulis superius relatis. Sed quatenus hæc pagina etiam exhiberetur nullo vitio fœdata, in Cæsareos retorqueretur. Nam si Dominus Regens putat, Rudolphum post diploma datum Romanæ Ecclesiæ, Adriam concedentem Estensibus, agnovisse quoad eam Urbem, diploma suum inane & erroneum (quod tamen minime concedendum) sequeretur Rudolphum de COMACLO non disponentem, neque investientem Estenses, satis declarasse eam Urbem ad Sedem Apostolicam pertinuisse, diploma suum pro COMACLO validum, verum, subsistens & exequutioni mandatum. Hinc etiam intelligeretur, Rudolphum nolentem COMACLUM concedere Estensibus, putasse eos nullum jus tunc temporis in eam Civitatem habuisse; nullam priorem extitisse Investituram Cæsarum: neque Imperium de ea Civitate disponere potuisse. Porro in jure scriptum non est, Principem rem alteri donatam, alteri concedentem, præsertim post plures annos, hinc declarare priorem donationem invalidam, effectu carentem & inefficacem, uti contendit Dominus Regens. Immo cautum est priorem donationem esse firmam, dominium transtulisse, exequutioni tradendam: & secundam concessionem nullam, subreptitiam & obtentam vel circumvento Principe, vel quoniam is prioris donationis oblitus fuerit, ut Gaillus & Grævæius probant, addentes hanc oblivionis præsumptionem esse juris & de jure, itaut non admittatur contra eam probatio. Hæc si in jure subsistunt, fortius vigent in casu, in quo non agitur de donatione unius Castri, sed de diplomate continente plures atque plures Provincias & Urbes. Quamobrem facilior est oblivio & confusio Principis, qui unam postmodum ex dictis Civitatibus, alteri concedat. Etsi ergo Rudolphus post diploma solemne Ecclesiæ concessum accedente consensu Principum Imperii, illisque etiam conclamantibus COMACLUM ad Romanam Ecclesiam pleno jure pertinere, investivisset Estenses de COMACLO: quod tamen is non fecit, non inde sequeretur declarasse Rudolphum, quod ea Urbs ad Ecclesiam non spectaret. Sed ejus secunda concessio esset de vento, subreptitia, ex defectu intentionis invalida & nullius prorsus roboris. Hinc discimus ceteras Investituras, quas jactant Estenses Ministri, tanquam datas per successores Caroli IV. pariter invalidas & perperam concessas fuisse ex iisdem rationibus superius adductis.

Vi-

§. 10.
Refutantur cetera diplomata Estensium, in quibus dicitur exstare COMACLUM.

Vidimus apud recentiorem Estensium rerum sarcinatorem summam assertæ Investituræ Friderici III. includentis bona, quæ contineri dicuntur in paginis Carolinis. At in illa plura notanda, & quidem scitu digna, si tamen vera sunt. Cæsar Comitatui Rhodigii tribuit *Argentam*, Castrum *S. Alberti*, *Riperiam Fili*, COMACLUM, *&* *Adriam*, easque Urbes & Opida subjicit jurisdictioni Rhodigii, & ad illud pertinere declarat: quo nil turpius & magis absonum; nam ita Urbes Episcopales habentes suum Comitatum factæ fuissent de pertinentiis Opidi, & quod magis est, a COMACLENSI Urbe longe dissiti. Æneas Silvius præsens eidem Investituræ Borsio Estensi concessæ, quem laudat Dominus Abbas Fontaninus pag. 186. & 187. testatur in ea Borsium Ducem investitum de *Mutina*, *Regio*, factumque Rhodigii Comitem; & quidem sub promissione annui census *scutorum auri quatuor millium*. Et tamen recens ille narrat in ea pagina inclusas præter *Mutinam*, *Regium*, *&* *Rhodigium*, *Adriam*, COMACLUM, *Argentam*, *Castrum S. Alberti*, *&* *Fili Riperiam*: & quod notandum est sine ullo pacto censum solvendi. Hæc quidem vix a quoquam intelligi poterunt. Refert etiam summam alterius Investituræ Maximiliani Cæsaris, in qua legitur *Argenta* cum eadem expressione, quod ea ad Romanum Imperium pertineat, quando patet ex prædictis ad Ecclesiam Ravennatem spectasse, & Estenses ipsos, qui has Investituras Cæsareas impetrabant, semper palam recognovisse in feudum ab eadem Ecclesia censu annuo statuto, atque palam soluto. Refert & aliam Investituram ejusdem Maximiliani Patavii datam, in qua confirmantur omnia diplomata Estensibus concessa per Cæsares prædecessores, inter quæ confirmatum asseritur diploma Rudolphi I. Imperatoris Opizoni datum Ferrariæ anno 1256. cum tamen dilucidum sit, Rudolphum I. nunquam Ferrariȩ mansisse, quin neque Italiam vidisse, neque tunc temporis eum adhuc Cæsareum fastigium conscendisse. Hunc immanem errorem pridem detexerat D. Abbas Fontaninus pag. 52. 82. Refert tandem alia diplomata Caroli V. Maximiliani II. & Rudolphi II. in quibus tradit inclusas Urbes & Opida prædicta, & præter ea *Marchiam Taruisinam*, *Marchiam Januensem* *&* *Marchiam Mediolanensem*, & innumera Opida in pluribus dominiis sita: quas regiones & opida nunquam Estenses tenuisse, notorium est. Quod vero maxime notandum est, in iis Investituris Caroli V. & successorum pro solis Urbibus *Mutinæ*, *Regii* *&* *Rhodigii* Castro statuitur annuus census solvendus Cæsari, idest summa scutorum *aureorum quatuor millium*. Ceteræ autem Regiones, Urbes & Opida, inter quæ COMACLUM, *Adria*, *Argenta* & alia loca

loca ſuperius deſcripta libere dantur nullo ſtatuto cenſu & juramento fidelitatis præſtando omiſſo. Unde fit ex ipſis Inveſtituris, quas Miniſtri Eſtenſes jactanr, probari, Cæſares Mutinam, Regium, atque Rhodigium in feudum dediſse: cetera vero opida, loca & bona iis addita fuiſſe ad pompam & ut Cæſares Eſtenſibus ſatisfacerent atque ab eorum opinione captarent jus titulorum & ſub eorum protectione ea bona & loca haberent. Haud ergo mirum, ſi Eſtenſes cenſuris ſubjecti ſive quia ſal Comacli, invita Sede Apoſtolica legere auderent, ſive quia collectis & talleis Comaclenses onerarent, aut quia devolutio urgeret; nunquam Cæſarum, ſed potius Galliarum Regum opem invocarunt: & ſolventes canones pro Ferrariæ Vicariatu, faſſi ſunt eidem plures Civitates includi. Hæc dicta ſint, ut ii, qui exhibitioni paginarum earundem intererint, videant an ea, quorum ſummam recens ille Scriptor adducit, legitima ſint: atque hinc arma capiat pro ſacris Eccleſiæ Romanæ juribus juſte & vere tuendis.



lB

